

DAS BRUDER-KLAUSEN-SPIEL  
DES P. JAKOB GRETSER S. J.  
VOM JAHRE 1586

HERAUSGEGEBEN VON  
DR P. EMMANUEL SCHERER O. S. B.



BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT DER  
KANTONALEN LEHRANSTALT SARNEN  
1927/28



SARNEN 1928  
BUCHDRUCKEREI LOUIS EHRLI









# EFFIGIES R. PLACOBIGRETSEI MARCKDORF

senfis Aeroniani. Soc. IESU Sacentolis. et SS Theologie Doctori. q.  
 qui præter publicam XXVI. annorum graviorum. Scientiarum in Aca-  
 demia Ingolstadiensi. professionem. alijs munia. sequecentum fere libris. edi-  
 tis Ecclesiam. Societatem Universitatē. Bibliothecas ornavit. Fidem. Ca-  
 tholicam propugnavit. hæreses consulavit. hæreticos in suporem. Omnes  
 eruditos in admirationem dedit. Obijt Ingolstady 29. Ianuarij Anno  
 Iuliano M.D.C. XXV. ætatis LXIII.



DAS BRUDER-KLAUSEN-SPIEL  
DES P. JAKOB GRETSER S. J.  
VOM JAHRE 1586

HERAUSGEGEBEN VON  
DR. P. EMMANUEL SCHERER O. S. B.



BEILAGE ZUM JAHRESBERICHT DER  
KANTONALEN LEHRANSTALT SARNEN  
1927/28



SARNEN 1928  
BUCHDRUCKEREI LOUIS EHRLI



DIESE ERSTE DRUCKAUSGABE DES ÄLTESTEN  
ÜBERLIEFERTEN BRUDERKLAUSEN-SPIELES WIDMET  
DEN MITGLIEDERN DES HOHEN ERZIEHUNGSRATES  
DES KANTONS UNTERWALDEN OB DEM WALDE

DER HERAUSGEBER.



COMOEDIA DE VITA NICOLAI UNDERWALDII  
 EREMITAE HELVETII. SCRIPTA FRIBURGI  
 ANNO 1586. HABITA LUCERNAE HELVETIO-  
 RUM 5. OCTOBRIS 1586. PRAESENTE LEGATO  
 PONTIFICIS ET LEGATIS OMNIUM CATHOLI-  
 CORUM PAGORUM, QUO EODEM DIE FOEDUS  
 RELIGIONIS DENUO CONFIRMATUM ET ARC-  
 TIUS SANCITUM EST

Aut prodesse volunt aut delectare poetae  
 Aut simul iucunda et idonea dicere vitae.

Horatius



Prologus

Nicolaus Eremita

Dorothea uxoreius

Henricus filius

Petrus frater

Pamphilus

Charinus

Spudaeus

Himerus

Chremes rusticus Burgundus

Georgius Underwaldius

Mometes

Sarpaeus

Ulricus Eremita

Angelus<sup>1</sup>

Asmodaeus

Belial<sup>2</sup>

Thomas suffraganeus Constantiensis

Oswaldus Isner parochus

Eusebius sacellanus<sup>3</sup>

Tres ignoti viri

Philellin studiosus

Berchtoldus

Dorus

Duo pauperes<sup>4</sup>

Quatuor scholastici egeni<sup>5</sup>

Epilogus

<sup>1</sup> Korrigiert aus «Quatuor Angeli».

<sup>2</sup> Ein dritter Daemon «Psycharpax» gestrichen; der Name dürfte aus der Batrachomyomachie entlehnt sein.

<sup>3</sup> Dieser Küster kommt im ganzen Stücke nirgends vor!

<sup>4</sup> Nachträglich, in anderer Schrift, hinzugefügt; ursprünglich stand: «Coe-cus, Claudus».

<sup>5</sup> Ebenfalls später hinzugefügt.



PROLOGUS <sup>6</sup>

- Salvete Lucernenses <sup>7</sup> quotquot huc pedem  
 Tetulistis spectandae caussa comoediae,  
 Quam faustis avibus et coetu Divûm auspice  
 Jam cogitamus huic scenae committere,  
 5 Haud aliam ob caussam, Lucernenses <sup>8</sup> inclyti,  
 Quam ut vos hilaremus iucundis theamatis [!]  
 Et acroamatibus delectemur ac vicem  
 Sic meritis vestris referamus, quae totius  
 Anni curriculo sane liberaliter  
 10 In nos congeritis. Ingrati turpem notam  
 Non effugeremus, ni vestris beneficijs  
 Reponeremus grates quas vires ferunt.  
 Adeste quaeso mentibus qui corpore  
 Voluistis adesse, et si alicui comoediae  
 15 Favistis unquam linguis et silentio  
 Et benevolentiae aura, huic favebitis,  
 Sat scio. Nam materiem non tractat exteram,  
 Non fictam, non petitam ex vatium fabulis,  
 Sed natam in Helvetia, domi nostrae fatam,  
 20 Natam Underwaldiae. Num novistis locum?  
 Novistis, novistis. Fortasse singuli <sup>9</sup>  
 Vidistis eundem. Positis sed ut ambagibus  
 Plane rem proloquar. Vitam Underwaldij  
 Nicolei comicis legibus inclusimus,  
 25 Inclusam vobis nunc spectandam adducimus.  
 Res est spectatu digna, quod videbitis  
 109b Comoediae progressu multo clarius.  
 Et certe si verum est, quod vulgo dicitur,  
 Domestica magis hilarare animos, quam extera,  
 30 Noviterque facta magis, quam gesta antiquitus,  
 Non video Lucernenses <sup>10</sup> quae comoedia  
 Grator eveniat vobis, quam quae versibus  
 Nicolei vitam exequitur Underwaldij  
 Helvetij, qui proavorum aetate vixerit,

<sup>6</sup> Dürerwächter, Jakob Gretser und seine Dramen, Freiburg 1912, erwähnt S. 134 auch einen deutschen Prolog. Die Handschrift Gretser's, die meiner Ausgabe zu Grunde liegt, enthält einen solchen nicht. Entweder befindet er sich in einem andern Dillingermanuskript, oder es liegt, was mir wahrscheinlich scheint, eine Verwechslung mit Gretser's Nikolaus von Myra vor.

<sup>7, 8</sup> Korrigiert aus «Friburgenses».

<sup>9</sup> Zuerst stund «plurimi».

<sup>10</sup> Korrigiert aus «Friburgenses».



- 35 Sui aevi Paulus, Antonius, Onuphrius,  
Miraculis toto mundo clarissimus,  
Immortale decus et iubar nitidissimum  
Helvetiae. Sed iam primi actus summam eloquar.  
Reliquorum periochas dicam cum venerit
- 40 Grex noster ad illos actus, si iam dicerem  
Omnes, non tam docerem quam confunderem.  
Principio prodeunt cacodaemones duo,  
Qui multis consultant, quonam in plagas modo  
Conjicere Nicolaum possint, plurimum
- 45 Dolent, ignarum agricolam tot negotij  
Pietate sua facessere suis copijs.  
Interea Nicolaus ad solitas preces  
Deo solvendas prodit. Adsunt daemones  
Virumque sanctum pugnis tundunt et alapis
- 50 Caedunt crudeliter, si forte stringeret  
Maledicam in superos linguam, sed sanctus senex  
Nil nisi divinam proloquitur clementiam.  
Ringuntur daemones; refert victoriam  
Praeclaram Nicoleus; grates Divis agit.
- 110<sup>a</sup> Post haec rus it comitatus filio suo,  
More suo vota fundit patri caelitum;  
Pecoribus praebet natus pabulum, parens  
Foris precatur. Daemon advolat iterum,  
Precantem arripit et per dumos et per rubos,
- 60 Per saxa, per coenum raptat sanctum virum.  
Patienter omnia fert, nec fatur verbulum,  
Quod summam non declararet patientiam.  
Quam patiens est Nicoleus, tam nequissimus  
Cacodaemon est impatiens, quod retia sua
- 65 Semper nequicquam Nicolao tenderet.  
Debilis exinde a gnato ducitur domum.  
Mendici veniunt Nicolei ad aedes duo  
Stipem rogantes; dapsilem accipiunt stipem.  
Post haec in aliquot pauperes scholasticos
- 70 Vir mitis liberalitate maxima  
Paterna confert merita. Tres postea viri,  
Incertum an angeli, gravissime monent  
Nicoleum, ut rebus derelictis vi necis  
Subiectis, unico se mancipet Deo,



- 75 Relictis liberis, relictæ conjuge.  
Currenti calcar addunt, nam nihil aliud  
Desiderabat Nicolaus perpetim.  
Hic finis actus primi erit et hic terminum  
Pepigimus, vos interea spectatissimi  
80 Favete spectatores primo huic actui.  
Si non favere vultis nostri gratia,  
Favete Nicolei caussa Underwaldij.

110b **ACTUS PRIMI SCENA PRIMA**

**ASMODAEUS<sup>11</sup>, BELIAL<sup>12</sup>, DAEMONES.**

**A s m o d a e u s.**

- Siccine nos ludificabit Nicoleus rudis,  
Ignarus, simplex et nec parvulam salis  
85 In corpore micam habens! Itane iste perpetim  
Triumphum de nobis referet, quodque gravius  
Devictis insultabit, et nostros dolos  
Eludet, non pluris conatus aestimans  
Nostros, quam muscae vires parvique culicis  
90 Impressiones? Orat noctes et dies.  
Ieiunat et vix unquam sumit mucidum  
Nigrumque<sup>13</sup> panem, nec bibit nisi frigidam.  
Si coner homini subijcere cupidinem  
Eduliorum suaviū, penitus nihil  
95 Movetur. Qualis quercus altis montibus  
Annosa stat immota, licet Auster saeviat  
Validoque culmen celsum quatiat flamine;  
Precanti varias curas, quando suggero  
Et cogitationes inijcio, quibus,  
100 Preces reddantur irritae, videor mihi  
Solidissimos in scopulos iaculum mittere,  
Mox ad me resiliunt, supremum corticem  
Nicolei tantum tangunt, ad cor neutiquam  
Penetrant.

<sup>11</sup> Name des bösen Geistes bei Tobias 3, 8.

<sup>12</sup> In der Hl. Schrift Beiname des Satans.

<sup>13</sup> Korrigiert aus «purumque».



Belial.

Jure Nicolei nomen datum est  
105 Huic homini; populos utique vincit fortiter,  
Quin et nos daemones uti dicis sub iugum  
Mittit, prô dedecus et notam turpissimam!  
Geminum propediem sortietur hic homulus  
Cognomen; Nicodaemon appellabitur  
110 Et Nicolaus, imo accedet tertium,  
111<sup>a</sup> Ut Nicocornus censeatur ab omnibus.  
Fortasse Nicosarcos quoque merebitur  
Cognomen. Namque haec quatuor clara nomina,  
In quem conveniant potius ac in sanctulum  
115 Hunc Underwaldium, qui vincit daemonas,  
Qui calcat populos, mundum et carnem blandulam?

Asmodaeus.

Equidem vix passus sum vincere me quempiam  
Animo tam iniquo atque hunc agricolam simplicem.  
Si doctus esset, si peritus artium,  
120 Si callidus, si technis promptus et dolis,  
Succumberem libentius et victas darem  
Manus. At cum nil noverit nisi sarculo  
Findere patritos agros, et vaccas suas  
Mulgere strigilique cutem pectere hispidam,  
125 Fimumque efferre stabulis, quid sensus mihi  
Inesset cum prosternor primo praelio,  
Primaque belli fronte? Tam Martis sciens  
Et tantus belli dux, et qui cum plurimis  
Fortissimis pugnaverim feliciter  
130 Non raro, opimisque spolijs ad tartara  
Onustus redierim, quod te minime latet.

Belial.

Sic comparatum natura omnes novimus,  
Ut quo segnior est atque effaeminatior  
Qui nos prosternit, tanto doleamus magis.



135 Quid tristius accidere queat fortissimo  
Ductori militum, quam si victoriam  
Mulieri prebeat? Vinci semper equidem  
Non est admodum honestum; vinci tamen a viro  
Conspicuo laude insigni fortitudinis,  
140 Solamen perditae affert non parvum rei.  
Nunc vincimur ab hoc Nicolao turpiter  
Imbelli Martis saevi et pugnae nescio.

111b A s m o d a e u s .

Sed nosti munus esse militis boni  
Non ponere statim spem, quasi funditus siet  
145 Amissa palma. Saepe quod primo impetu  
Non obtinetur, obtinetur altero,  
Aut tertio, aut quarto, aut quinto, aut millesimo  
Ictu, nulla arbor uno caeditur. Nihil  
Hominum sermone dignum fit uno momine  
150 Unave luce, temporis requiritur  
Mora semper ad gerendas res perarduas.  
Quin denuo tentamus, quid doli queant,  
Quid nostrae vires valeant; superabimur ais.  
Quid inde? Praeter dedecus, damni nihil  
155 Patiemur; subeamus alacres istam notam.  
Tentare quid nocebit? Audentes iuvat  
Fortuna. Pudor communis est. Mi Belial,  
Agedum, resume robur! Pandamus nostras plagas,  
Agitemus hanc feram. Fortassis incidet  
160 Sponte sua, nemine insequente. Quid abnuis  
Inire certamen, quasi non satis fores  
Hac in palaestra exercitatus?

B e l i a l .

Non, ita

Me Pluton diligit, abnuo; neque fugito,  
Sed operam et oleum non perdo sane lubens.  
165 Parebo tamen et totis nitar viribus  
Hunc Nicolaum trahere sub nigra tartara.  
Nunc appetit precandi tempus, nunc foras  
Prodibit, nos orantem territabimus  
Terriculamentis varijs, risibus et iocis,



170 Et contemplari conanti caelestia  
Ridicula proponemus nos theamata.  
Meditemur aliquid interim, tu concute  
Fecundum pectus, tibi mille artes, nomina  
112<sup>a</sup> Tibi mille.

Asmodaeus.

Sat ampla tentandi mihi suppetet

175 Materies; en iam prodit sanctus scilicet.  
En quales globulos, vel potius globos gerit!  
Vota Deo cuncta numerans, ut ne quid nimis.  
Vix ossibus haeret. En domitus ieiunio  
Frequenti, ut languet, ut vacillat passibus  
180 Ambiguus.

Belial.

Audiamus quid senex petat  
Et unde precandi principium ducere velit.

## ACTUS PRIMI SCENA SECUNDA

NICOLAUS. DAEMONES.

Nicolaus.

Quantis me celsi summus aetheris parens  
Ab ineunte aevo cumulavit beneficijs  
Licet immerentem; quantis me quotidie  
185 Auget adhuc donis. Finis nullus et modus  
Benefaciendi nullus est clementiae  
Divinae praestitutus. Quid communia  
Memorare coner merita, quae quamvis sient  
Maxima, plerique meminisse tamen negligunt.  
190 Quid maius, quam quod coeli summus conditor  
Me procreavit et ad effigiem finxerit  
Suam, capacem coelestis vitae, cui  
Non est depactus terminus. Fuiam nihil;  
Illius dono nunc aliquid sum; quid aliquid?



195 Non quidlibet, sed homo, sed similis coelitum  
Intelligentia. Quid hoc beneficio  
Excogitari maius quit! quidve melius!  
Deinde me progigni voluit catholicis  
Parentibus, non judaeis, non ethnicis,  
200 Non haereticis; in catholica me nascier  
112<sup>b</sup> Voluit Ecclesia, ut simul atque cernerem  
Jucundum coeli lumen, catholicos quoque  
Conspicerem atque lavacro sacri baptismatis  
Catholico ritu tingerer.

Belial.

Multi logi,  
205 Loquax oratio; videamus quo velit  
Evadere tandem, haec mortis imago plurima.

Nicolaus.

Deinde suppeditavit mihi constantiam  
Manendi firmiter priscis in dogmatis  
Ad hanc usque horam. Praeterea custodijt,  
210 Ne varijs maculis primaevam innocentiam  
Contaminarem.

Asmodaeus.

En ipse buccinat suas  
Sibi globisque suis laudes. Os te senex  
Laudet alienus. Sordent laudes propriae.  
Proverbium sed nescit, quia popularia  
215 Ignorat spiritalis. Solo spiritu  
Iam vivit, carne quantus quantus mortuus.

Nicolaus.

Insuper a cura rerum temporalium  
Superflua me abstraxit, ut mihi sit satis  
Quod satis est, et non nummorum caeca ardeam  
220 Cupidine. Quid mihi ferret queso commodi  
Vel mundus universus, si detruderet  
Ad inferos animam meam coeli arbiter?  
Satius est, omnia putare instar stercorum,  
Ut evadamus poenas Ditis perpetes,  
225 Et tandem perfruamur coeli gaudijs,  
Quibus rex aethrae cumulat caelites suos.



Belial.

Sed nondum bone vir pervenisti ad sidera.  
Est via sat longa; timeo ne vires tuae  
Itineri tanto non sufficiant; iam pedes  
230 In plano vix tollere potes, quî ascenderes  
Culmina tam celsa coeli, tamque acclivia?  
Ad inferos, ad regna nostra curritur  
113a Declivi tramite; eo venies facillime.

Nicolaus.

O pater, aetherijs sedibus, qui presides,  
(Flectit Nicolaus genua)  
235 Tibi gratias ago, tibi refero gratias,  
Ex intimis praecordijs. Tu conditor,  
Redemptor tu meus, tu protector meus,  
O quando te videbo sine velamine?  
O quando intrabo lucidas poli domos,  
(Daemones digladiantur ut Nicolaum perturbent)  
240 Interminatis gaudijs, ut perfruar?

Asmodaeus.

Fer opem, te rogitō, vulnerato, vir Dei!

Nicolaus.

Una dies melior est in atrijs tuis  
Quam multa dierum millia hoc in tempore.  
(Semper pergunt daemones)  
245 Felices illos, quibus honorem sedis annuis  
Sidereae. Felices ter, quater, et amplius.  
O pater, o coeli Rector, praepotens Deus,  
Qui cuncta aeterno moliris moderamine,  
Qui numine tuo repleas coelum et aequora  
Et terras, qui disponis omnia suaviter,  
250 Adesto mihi; sis clypeus, sis scutum meum  
Impressiones contra saevi daemonis!

Asmodaeus.

Quid te precando conficis? Quin ocyus  
Surgis; quin surgis; ὄρω, ὄρω, ὄρω! [sic!].



Nicolaus.

255 Adesto mihi salutis largitor Deus,  
Adesto mihi iuvamen unicum meum!

Belial.

Quid aetheris res contemplaris? Inspice  
Hoc; speculum fulgens contempleris paululum,  
Quam pulcher sis, quam formosus, quam elegans.

Nicolaus.

260 Abite spiritus nefarij; fugam  
Capessite! Deo soli semper serviam.

Asmodaeus.

113<sup>b</sup> Sitis? Vel esuris? Suave poculum  
Miscebo tibi, ne torqueas corpus tuum  
Fame sitique.

Nicolaus.

265 Cibus est et potus meus  
Facere voluntatem supremi numinis,  
Cibus meus est aetherias contemplarier  
Delicias; spes mea Deus et solatium  
Rebus in adversis unicum; fer opem mihi  
Luctanti contra insultus vafri daemonis!

Asmodaeus.

270 Bibe Nicolae; quid te discrucias siti?  
Bibe Nicolae; nimia morieris siti.

Belial.

Ede Nicolae; quid te discrucias fame?  
Ede Nicolae; nimia morieris fame.

Nicolaus.

275 Potus panisque vester sub nigra tartara  
Vobiscum detrudatur, improbissimi  
Et seductores hominum sceleratissimi  
Praedones animae, raptores corporum!



Asmodaeus.

En nihil efficimus Belial; quid consilii  
Capiendum censes? In fugam nos  
Conijcit orando.

Belial.

280 Non iam tempus consilii  
Capiendi, sed pugnandi totis viribus. —  
Dic Nicolae, quamdiu hanc vitam tuam  
Austera ducis? Tu necabis millies  
Teipsum. Desine, desine, desine, desine!  
Num tu vis melior esse reliquis omnibus?  
285 Num tu vis universo mundo sanctior  
Videri? Non est haec ad caeruleas plagas  
Via tuta; perge ad coelum consueta via.  
Audisn' senex?

Nicolaus.

Domine Deus!

Belial.

Ratione et modo  
290 Rei domesticae vaces; ieiunia  
Relinque monachis et monialibus! Tuo  
Tu statui convenienter vivo; plurimis  
Es offendiculo, quod queras novam viam  
Ad coelum; non es monachus, verum rusticus!

114a

Nicolaus.

Domine Deus!

Asmodaeus.

Audis! Saecularis es, senex,  
295 Non religiosus; tractes saecularia,  
Religiosa religiosus linquito; tibi  
Ligonem sume, rastrum, furcam, sarculum;  
Rosarium da monacho atque sacerdotibus!



Nicolaus.

Abite spiritus nefarij, fugam  
300 Capessite! Deo soli semper serviam.  
Rumpamini quantumvis ut Judae ilia!  
Vos scilicet nobis beatudinem  
Amissam sceleribus invidetis perpetim  
Et sub cocyti stagna nos teterrima  
305 Rapere conamini; sed vestros irritos  
Conatus reddit astrorum Rector potens.  
Abite spiritus nefarij! Fugam  
Capessite! Deum percolendo spiritum  
Supremum efflabo.

Asmodaeus.

Denuo igitur vincimur  
310 Pugnaque excedimus inusti turpi nota.  
Ut te caelituum summus genitor perduat,  
Scelestissime senex, hypocrita maxime!

Nicolaus.

Abite spiritus nefarij! Fugam  
Capessite! Dominus lux mea, fiducia  
315 Mea Deus. Si coniurent in me tartara,  
Non trepidabo. Ciere si conspexero  
Lucifugum regem, regni membra singula,  
Non expallesciam. Plures mecum copiae,  
Quam cum illis.

Belial.

Ergo Nicoleus nos denuo  
320 Pedibus calcat et oppressos mittit sub iugum!  
Phi, pudet ac taedet; quos nostris dabimus iocos!  
Quos risus! Quos ludos! Cum par tam nobile  
114b Bellatorum victum ab agricola conspexerint!

Asmodaeus.

Res mira! Tot fortissimos devicimus  
325 Athletas proelijque callentissimos  
Iniecimus in tendiculas et nostras plagas,  
Et hunc nequimus fallere non vafrum virum.  
Sed nondum spem posui, dum vixerit  
Sperabo; nondum evasit nostra retia!



330 Nunc conferamus nos alio, atque quospiam,  
Vel potulum vel scortulum vel denique  
Juratum et litigatum, mittamus dolis  
Pellectos nostris, ne prorsus nihil hodie  
Fecisse putemur.

Belial.

Consilium tuum placet.

### ACTUS PRIMI SCENA TERTIA

NICOLAUS, HENRICUS<sup>14</sup> FILIUS, DAEMONES.

Nicolaus.

335 Tentatio vita nostra iugis est, ait  
Beatus Jobus tentatus gravissime.  
Ure, seca, scinde, dummodo tuam conspicer  
In alia vita gloriam. Da quod iubes  
Et quod voles iubeto! Quaevis sufferam  
340 Libenter, modo tu dederis mihi patientiam.  
Deus meus, solatium unicum meum,  
Mentisque requies, voluptas certaue  
Spes! O quando dabitur, relictis omnibus  
Quae me nunc detinent, famularier tibi  
345 Soli? Quando cum Abramo terras deseram  
Cognatas, terminosque patriae meae,  
Ut veniam in terras, quas tu commonstraveris?  
Nunc distrahor tot occupationibus  
Rei familiaris, uti servitio tuo  
350 Non modica subtrahatur pars, Deus meus.  
115<sup>a</sup> Nunc quoque necesse habeo ad opera mihi solita  
Redire, nam pecuariam facio, patrum  
Exemplo veterum, quos pecoris ditissimos  
Fuisse narrant nobis sacrae litterae.  
355 Adesto Henrice fili exoptatissime!  
Adesto!

---

<sup>14</sup> Ein Sohn des Bruder Klaus, namens Heinrich, lässt sich nicht nachweisen. Es wird zwar in Stammbüchern von ca. 1733 ein Heinrich von Flüe genannt, der im Melchtal gewohnt habe; wahrscheinlich handelt es sich um einen Neffen des Seligen. Siehe Durrer, Bruder Klaus, S. 29.



Henricus.

Adsum; quid me vis, o optime parens?

Nicolaus.

Eamus rus. Curemus et oves et boves  
Et reliqua pecora.

Henricus.

Factum quod iubes puta.

360

Aedes revisam tantum, ut nobis adferam  
Curationi instrumenta apta et idonea.

Nicolaus.

365

I, mea progenies! Ter beatos dixerim,  
Quibus absque cura famulari datum est Deo,  
Qui pedicis liberi sidereas libere  
Conscedunt sedes, sublatis theoriae  
Pennis. Nescio quid hisce sit felicius.  
Sed non est somnium; miserantis est Dei  
Secernere tales hominum ex multis millibus.

Henricus.

370

Nunc adsum genitor, eamus curatum boves;  
Accepi pecoris cura quocumque indiget,  
In stabulis reliqua reperiemus omnia.

Nicolaus.

Da mihi securim; praecedere, ego te subsequar.

Henricus.

Faciam quod mandas; dum tu subsequeris parens,  
Dabo transactum ferme facto quod opus est.

Nicolaus.

375

I, fausto pede, mi gnate! O rerum praepotens  
Creator, qui mare velivolum, qui sidera  
Facili gubernas nutu, cuncta qui moves  
Solo supercilio; quam sunt limina tui  
Decora templi; quam pyropis lucida,  
Quam chrysolithis nitentia, quam candentia



380 Ebore! Artus gestiunt penitissimi, Dei  
115<sup>b</sup> Atria videre propius, mens hoc unicum  
Indesinenter optat. Non ita torrido  
Percoctus sole cervus limphas limpidas  
Desiderat, ut mens te Deum appetit suum.  
385 Felix qui meruit incolis tuae domus  
Ascribi, curarum expers, omne transiget  
Bonum, damnosi expers senij. Da mihi Deus  
Sic vivere hic, ne vitam amittam perpetem.

A s m o d a e u s.

Nicoleus iterum progreditur in pulverem;  
390 Iterum oppugandus, non verbis solummodo,  
Sed pugnis et verberibus. Forsan verbera  
Magis movebunt.

B e l i a l.

Forsitan magis viget  
Sensu quam ratione; sic verberibus indiget  
Magis quam verbis; istinc videamus tamen,  
395 Quid moliatur; inopinum pariter humi  
Talem prosternemus, nobis discat ut obsequi

N i c o l a u s.

Fili laboras?

H e n r i c u s.

Iam dudum coepi pater,  
Facere quod instat, ferme transactum dedi.

N i c o l a u s.

Recte fili. Pensum absolve tuum! Ego rubos  
400 Et frutices et virgulta prato et gramini  
Damnosa excindam, ne tandem pratium in nemus  
Degereret impeditum densis vepribus.  
Ad institutum fili referas est iam opus.



Henricus.

405 Parebo lubens mi genitor, dulce nam mihi est  
Jussa tua capessere.

Nicolaus.

Deus meus et omnia;  
Breve dictum sed voluptatis plenissimum  
Merissimisque suavitatibus scatens.  
Deus meus et omnia; satis hoc amantibus  
Est animis.

Asmodaeus.

410 Quid cessamus amice Belial?  
Eia virum rapiamus et per saxa et horridas  
Trahamus spinas; blasphemabit et Deum  
116a Irritabit voce.

Nicolaus.

Deus meus et omnia!

Asmodaeus.

Deus meus et omnia; Deus meus et nihil;  
Hypocrita nefarie!

Nicolaus.

Deus meus et omnia!

Belial.

415 Ede pgnos, qui vix panem vis edere!

Asmodaeus.

Bibe

Pgnos, qui vix dignaris bibere frigidum!

Nicolaus.

Deus cum certa lux praefergeat mihi  
In tenebris, vitamque meam muniat suo  
Praesidio!

Belial.

Hui, hui!



Nicolaus.

420 Quid tandem sit formidini,  
Adversus me si regni Lucifer sui  
Cunctas cieret copias? Immobilis  
Persisterem fretus ope patris caelitum.

Asmodaeus.

Quid sancte mussitas? Num deficis fame?  
Num vis praebere asellulo hordeum tuo?

Belial.

425 Abeamus, truncus est et stipes, sensuum  
Expers, non commovetur.

Asmodaeus.

Impingam prius  
Unam aut alteram alapam vice fenoris: cape

(In vepres proijciunt)

Hoc munus a me, qui vix haeres ossibus!

Nicolaus.

430 Abite spiritus nefarij; fugam  
Capessite! Spes et solamen meum unicum  
Deus erit, in hoc sperabo, dum hosce spiritus  
Vegetabit artus; nullae fraudes daemonis  
Me dimovebunt ab iugi cultu Dei.

Asmodaeus.

Ecquid lucrati tanto conatu sumus?

Belial.

435 Dicam nil, praeter dedecus et turpes notas.

Asmodaeus.

Miror equidem, hunc agricolam simplicissimum  
Nec verbis nec verberibus demoverier  
Posse a proposito; nec huius fecit verbera  
Pugnosque ingestos, ac si lapis insensilis  
440 Non homo foret; ad aetherias perpetim domos  
116<sup>b</sup> Suspectat, illas concupiscit intimis  
Praecordijs, et licet necaretur, tamen  
Nec verbulum proferret in Deum indecens.



Belial.

445 Non tamen est omnis spes ponenda funditus,  
Fortasse spiritum dum ducet ultimum  
In nostras incidet plagas; quamplurimi  
Vicerunt nos sani; aegrotos devicimus.  
Vigilemus diligenter et demus operam,  
450 Ut nulla lux abeat, nox nulla transeat,  
Quin semel ac iterum impugnetur peracriter.  
Tandem expugnabitur. Nunc age celerrime,  
Nos conferamus ad aedes usurarij,  
Nosti, quem dico agit animam! Solemniter  
Ambo ducamus animam avaram ad inferos!

Asmodaeus.

455 Recte mones; hui, hui, psi; eamus ocysus!

## ACTUS PRIMI SCENA QUARTA

HENRICUS FILIUS. NICOLAUS.

Henricus.

Perfeci quae perficere genitor jusserat,  
Pabula porrexī bobus, vitulos matribus  
Lactandos subjeci; nunc stabulis prodeo.  
Sed ubi parens? Ubi parens est? Dulcissime  
460 Pater, ubi es? Te quero, pater optatissime!  
Pater ubi es? Cur me solo deserto domum  
Te contulisti? Pater, ubi es?

Nicolaus.

Charissime  
Fili, non abij hinc; inter vepres et rubos  
Jaceo semianimis; curre, subleva patrem!

Henricus.

465 Vocem audio; heu, heu quid vox tam moesta ominis  
Portendit?



Nicolaus.

Curre fili, subleva patrem!

117a

Henricus.

Adsum; quis te, mi genitor, tam indignis modis  
Tractavit? Quis te sub montem trusit latro?  
Cur non meam inclamasti opem? Equidem sarculo  
470 Vel furca comminuissem praedonis caput.

Nicolaus.

Aeternis vigeat nomen honoribus Dei,  
Quam male me accepit hostis infensissimus  
Salutis nostrae, daemon; quot incussit mihi  
Pugnos, quot alapas impegit, per avia,  
475 Per spinas et vepres raptans. Sed numinis  
Permissu cuncta fiunt, cuius contigit  
Hoc etiam nutu. Te, Deus meus, canam,  
Cum roseo curru aurora retulerit diem,  
Cumque viam coeli mediam sol ascenderit,  
480 Et cum subierit Tithoni rutilas domos.  
Tu Deus es meus, in te sperabo perpetim.  
Nunc fili, me reducito domum debilem!  
Sis baculus, sis fulcimen, sis currus patri!

Henricus.

Libenter equidem, genitor, utinam te meis  
485 Ferre humeris possem, non foret onus dulcius,  
Non suavius mihi. Tua maiora merita  
Sunt quam facultas munerandi sit mea.  
Eamus, genitor, vires revocabis domi!

Nicolaus.

Quam suavis dominus recto corde praeditis,  
490 Quam dulcis, quam benignus. O solatium  
Meae unicum mentis! Da vires, te precor,  
Da gratiam, et non metuam daemonis impetus.  
Sis mecum domine, nil morabor hostium  
Virtutem, quae praesente te nihil potest.

(Chorus primus: „Adeste, adeste etc.“)



117b

## ACTUS PRIMI SCENA QUINTA.

IRUS<sup>15</sup>, PTOCHIUS<sup>16</sup>, ATHLIUS<sup>17</sup> MENDICI. HENRICUS. NICOLAUS.

Irus.

495 Malum paupertas grande est irato Deo  
Humano generi immissum, namque antiquitus,  
Cum melior esset aetas et amantior  
Virtutis, aiunt, neminem penuria  
Fuisse afflictum.

Ptochius.

Grande paupertas malum est,  
500 Recte aestimas. Edere cum cupimus, tum nihil  
Suppeditat, ostiatim victum quaerimus,  
Nil invenimus prorsus, vel adeo parum,  
Ut ne volucris sufficiat, famelico  
Meo ne dicam stomacho, qui multi cibi  
505 Capax est. Nec solum patimur penuriam  
Victu parando, sed praecipue vestibus  
Nanciscendis, quibus ut mos est et addecet,  
Tegamus nos et propellamus aëris  
Iniurias et inclementiam poli.

Irus.

510 Hieme praeterita, paene fuero frigore  
Evectus. Decuplo me magis penuria  
Vestitus quam ciborum torsit et gravi  
Cruciatu exercuit.

Ptochius.

Vulpinis pellibus  
Quam multi incedunt septi brumae frigore,  
515 Equidem beatum iudicarem me fore,  
Si frigida membra fovere possim talibus  
Fomentis.

<sup>15</sup> Ἴρος, Name eines Bettlers auf Ithaka (Odyssee).

<sup>16</sup> Πτωχός, Bettler.

<sup>17</sup> Der Name des dritten Bettlers nachträglich am Rande hinzugefügt  
Athlius, vom griechischen ἄθλιος, elend, unglücklich.



I r u s.

Vulpes certe vulpem absconderet,  
Vulpinam pellem si gestaret Ptochius.

118a

A t h l i u s.<sup>18</sup>

Nihil novi; saepe fit, ut vulpes alteram  
520 Vulpem partim ornat, partim contegat sua  
Pelle; manus sic manum fricat. Sic quoque scabit  
Mulus mulum.

I r u s.

Nec hoc fieri solummodo  
Consuevit. Sed etiam lupo lupum  
Calore pellis fovet et contegit probe.

P t o c h i u s.

525 Et ursus ursum, sed ne ventre famelico  
Et stomacho crepitante logos fundamus notis!  
Videamus, ubi parare liceat paululum  
Vel casei, vel panis, vel lactis, quibus  
Iratum ventrem placemus!

I r u s.

530 Sacra anchora,  
Ut nosti, inopibus nobis Nicolei domus  
Est, et vocatur, nullum vacuum pauperem  
Abire patitur. Nullus poscit caseum  
Quin auferat, vel panem aut simile quidpiam.

P t o c h i u s.

535 Adeamus ergo, voce supplici stipem  
Poscamus Nicolaum; proxima domo  
Habitat; i, sequar et pro me et pro te postula!<sup>19</sup>

I r u s.

Heus, heus! Nemo hic aperit!

---

<sup>18</sup> Korrigiert aus Ptochius.

<sup>19</sup> Der dritte Bettler wird nicht erwähnt; da er nachträglich eingeschoben wurde, unterblieb die Korrektur.



Henricus.

Quis pulsat ianuam?

Irus.

Egeni bini adsumus, oramus supplices  
Ut largiaris aliquid eleemosynae  
540 Famelicis; remunerator praepotens  
Rector erit coeli.

Henricus.

Quinam isti? Quin prodeo!  
Non adfuistis heri quoque? Non hac caseum  
Panemque dextra vobis largitus abij?  
An nullos ventitare putatis pauperes  
545 Vos praeter? Non sunt tantae nobis copiae,  
Quae vobis in dies alendis singulos  
118<sup>b</sup> Sufficiant. Post quattuor dies revertite;  
Tumque stipem dabimus ut misericordes decet.

Nicolaus.

Quid, fili, cum pauperibus nequiquam logis  
550 Depugnas vanis? Non quoties reverterint  
Numerandum est, sed quando redeunt, dandum est! Deus  
Momentis etiam singulis uberrima  
Habere donat dona; demus dum licet.  
Forsan advenit tempus, cum postulabimus  
555 Dare nec poterimus. Fer panem cum caseo!  
Abi curriculo; pascamus famelicum  
In egenis Christum!

Irus.

Det tibi Deus praepotens  
Quae Nicolae postulas, ob pauperes  
Tot dudum pastos gazis et opibus tuis!

Henricus.

560 Habes, charissime pater, panem et caseum!



Nicolaus.

Accipite panis frustum et frustum casei!  
Estote semper obsequentes legibus  
Divinis, matrem virginem summi patris  
Semper colite! Deus haud nos patietur fame  
565 Interfici!

Irus.

Sit merces magna tua Deus!  
O Nicolae, vere pauperum pater,  
Valeto, felix pauperum sacra anchora!

ACTUS PRIMI SCENA SEXTA.

DISBIUS,<sup>20</sup> APLUTUS,<sup>21</sup> PAUPERES SCHOLASTICI. NICOLAUS.

Disbius.

Nil studijs pulchrius est; nihil etiam perculit  
Amore suo mage meam mentem; sed malum  
570 Praegrande, paupertas, me multum praepedit.  
Cum libris foret vacandum, tum cogor operam  
119a Parando victui dare. Quaeso saepius  
Quod edam, nec hilum tamen invenio. Dicitur  
Proverbio: Plenus venter non incumbit libris.  
575 Libenter. Multo minus inanis venter et  
Famelicus laborem studij tollerat.

Aplutus.

Quam multi sunt, quibus affatim pecuniae  
Suppeditat, qui tamen fere frequentius  
In gymnasio reperiuntur vinario  
580 Atque in gymnasio litterario, patrum  
Tineae, decoctores non digni, quos solum  
Sustineat. Non dant operam doctori artium,  
Sed doctori bibendi et uno spiritu  
Scyphos siccandi.

<sup>20</sup> Aus *δύς* und *βίος*, der misslich Lebende.

<sup>21</sup> Vom Adjektiv *ἄπλουτος*, ohne Reichtum



Disbius.

Verum hoc fortunae malum  
585 Feramus alacres et quidcunque temporis  
Supererit a querendo vestitu et cibo,  
Hoc literis demus, donec litterarum ope  
Tandem emergamus ex fortunae angustiis.

Tertius Scholasticus.

Adeamus iam communis pauperum patris  
590 Domum, Nicolei; postulemus supplices  
Stipem; frustra ut nosti, nunquam rogavimus.

Quartus Scholasticus.

Venite, canamus pariter responsorium,  
Aut si placet, aliquam dulcem muttetulam.<sup>22</sup>

(Hic canunt: „Audi Domine etc“, vel aliud.)

Nicolaus.

Salvete scolares! Qui genus? Unde nam domo?

Aplutus.

595 Lucerna venimus; opem imploramus tuam,  
Ut paupertati nostrae succurras stipe.

Nicolaus.

Libenter equidem impartiar vobis stipem.  
Etenim quamvis complectar egenos singulos  
119b Ut membra Christi, pauperes scholasticos  
Plus tamen amplector, quod eos sperem saeculis  
Labentibus magno usui sacrae fore  
Ecclesiae. Capite lactis paropsidem!  
Hunc panem interite, dum quaerito aliam stipem.

Disbius.

Supremus orbis arbiter donet tibi,  
605 Quidquid habere optas, propter misericordiam.  
Veni, catinam lactis exedamus et  
Hunc interamus panem; cochlearia  
Deprome crumena!

---

<sup>22</sup> Dieser Vers wurde nachträglich zugefügt.



Aplutus.

Faciam; hem, cochlearia

Amisi.

Disbius.

Amisisti?

Aplutus.

Amisi, nescio ubinam

610

Amiserim. Nicoleum cochlearia

Poscam. Qui lac dedit, cochlear etiam dabit.

Heus, Nicolae; desunt cochlearia

Convivis!

Nicolaus.

Quid ais fili?

Aplutus.

Cochlearia

Desunt edere volentibus.

Nicolaus.

Accipe gnate mi!

Aplutus.

615

Convivio absoluto referam sedulo,

Jam fero palas quibus lactis paropsidem

Exhauriamus.

Quartus Scholasticus.

Recte est, hic accumbere

Libeat.

Aplutus.

Lac expiemus votis, antequam

Vesci occipiamus.

Disbius.

Oremus igitur prius.



Aplutus.

620 Benedicite!

Disbius.

Benedicite!

Aplutus.

Hoc et plus benedicat nobis Dominus,  
Qui vivit et regnat et sine fine gubernat.<sup>23</sup>

Disbius.

Amen.

(Edunt lac).

Disbius.

Quam suave lac; non memini me mellitius  
Edere.

Tertius Scholasticus.

Nectar et ambrosiam permultum anteit.

Nicolaus.

625 Proficiat vobis, convivae, convivium!  
Accipite panem hunc, hocque frustum casei  
Et gazas alias agrestes! Saccum date!  
Complebo saccum, ut habeatis toto die  
120a Quod edatis. Praeterea istos capite nummulos!  
630 Studete diligenter, et colite Deum  
Ferventi pectore, qui solus vestris dabit  
Cursum secundum studijs, matrem quoque Dei  
Perpetuam virginem sedulo veneramini,  
Ut ope eius adiuti aliquando docti viri  
635 Ornetis patrias vestras ac ecclesiam!

<sup>23</sup> Dieser Vers nachträglich am Rande hinzugefügt.



Aplutus.

Conabimur uti fiat, quod pater mones  
Conatu summo, nil nobis optatius  
Accidere posset, quam vacare litteris.  
Nunc vale pater optime, perfugium unicum gregis  
640 Egeni! Te conservet sospitem Deus!

ACTUS PRIMI SCENA SEPTIMA  
TRES IGNOTI VIRI. NICOLAUS.

Nicolaus.

O summe rerum rector et parens Deus,  
Quas tibi pro meritis referam gratias tuis,  
Quibus immerentem me non desinis pius  
Cumulare? Non potis sum gratias tibi  
645 Referre, quamvis lingua cuncta corporis  
Membra fierent. Tam profusa tua benignitas  
Est in me, genitor! Nunc iterum domesticas  
Curatum res me recipiam. Tu prosperes,  
Deus, actiones et conatus singulos!  
650 Utinam solutus mundo famulari tibi  
Semper possem! O voluptas mea Deus unica!

Primus vir.

Salve Nicolee! Quo te tam subito pedes?

120b

Nicolaus.

Salvete quoque vos, qui ignotum tam humaniter  
Affamini; qui nam vos? Ne me, comprecor,  
655 Celetis!

Primus vir.

Amici, Nicolee, tui sumus.  
Amicos monitus ne nostros contempseris!

Nicolaus.

Equidem nullius, nec inimici, spreverim  
Monita Dei mandatis congruentia.



Primus vir.

Quid est, mi Nicolae, quod te conficis  
660 Vani huius mundi curis? Cur domesticis  
Non nuntium mittis rebus, ut Deo tuo  
Vaces liberius, qui tibi dedit spiritum,  
Qui te vocavit et adhuc in dies vocat,  
Mortalibus uti rebus supremum vale  
665 Dicas et absque curis celi gaudia  
In terris contempleris? Quaeso, cogita,  
Quid praemij decreverit rector poli,  
Quotquot sincero mundum linquent pectore?  
Cur non consilio obtemperas Dei tui,  
670 Quod iuveni dedit: perfectionis, inquiens,  
Si cura tangit te, vade relinque omnia,  
Pauperibus tribue! Non satis hoc est, amplius  
Requirat, sequere me, addit. Ecquid praemii  
Promittit! Habebit, inquit, thesaurum in polo.  
675 Non te promissiones tam largae tua  
Domo evocabunt? Certe magnum Antonium  
Ex mundi sapidis extraxerunt fluctibus.  
Nam simul ac Christi promissa ista audijt,  
Mundum deseruit, eremum ingressus unico  
680 Deo se consecravat, opulentissimus  
Quantumvis esset ac iuventa floridus.  
121a Fors dices: Te nunc senio confectum prope,  
Juvenibus et quibus hora melior sanguinem  
Bonum dat, tantam mercedem promittit.  
685 Sed erras, omnis generis et aetatis vocat  
Ad se Deus homines. Non ait, eia, iuvenes  
Venite ad me; tollite humeris jugum meum!  
Sed ait: Venite ad me omnes, iuvenes et senes,  
Viri et mulieres, pueri, virgines! Status  
690 Sexusve nullus rejicitur ab hoc iugo.

Secundus vir.

Quid, Nicolae, mentem immortalem tuam  
Mortalibus fatigas; curque fluxis maceras  
Animum aeternum rebus? Mundi excute pedicas,  
Dissolve compedes! Sequere quo te vocat,



695 Qui numquam vocat et evocatos deserit!  
Omni, qui fratres aut sorores liquerit,  
Ait, qui, veritas cum siet ipsissima,  
Nec fallere, nec mentirier assolet aut potest,  
Aut agros aut domum aut uxorem, aut liberos  
700 Me propter nihili penderit, iste centuplum  
Accipiet in istac vita et iugem gloriam  
Alterius consequetur. Ecquae praemia  
Maiora promississe potuisset Deus  
Mundum spernentibus? Mundum contemnito,  
705 Priusquam te contemnat; mundum linquito,  
Priusquam te relinquat; quae res sunt retro  
Oblivioni trade!

Tertius vir.

Nemo militans  
Supremo numini, mundanam tesseram  
O Nicolae, gestat, nec sese implicat  
710 Rebus caducis, ut studia sua comprobet  
121b Suo ductori; quid tibi cum negotijs  
Quae nunc transactum pergis? Cura quae Dei,  
Divinus servus! Curet res mundi cohors  
Mundi servorum stulta! Aratro adiungito,  
715 Nicolee, dextram! Quid formidas? Qui dedit  
Velle, dabit et perficere. Certamen bonum  
Certa, fidem serva, ut agonotheses maximus  
Bravio sempiterno tete adaugeat!

Nicolaus.

Nil equidem magis appeto, nil cogito crebrius,  
720 Quam servire Deo soli toto pectore,  
Mortalibus relictis rebus et gravi  
Excussa mundi servitute; sed tenet  
Me coniunx, retinet Pauli quoque sententia,  
Quae monet, uxorio ut qui vincitur iugo  
725 Solutionem ne querat.



Primus vir.

Videlicet

Ignoras Nicolae, plurimos iugo  
Hoc impeditos mundum libere tamen  
Sprevisse. Uxorem Petrus habuit apostolus,  
Uxorem liquit ac in Christi se dedit  
730 Disciplinam. Consensu mutuo potest  
Hocce iugum solvi; neu dubites, qui te vocat,  
Uxoris inflectet voluntatem, ut libens  
Dimittat te? Hoc polliceor certo certius,  
Coronam nectes tibi, quae circum tempora  
735 Tua ardeat decore perpeti in aethere.  
Nunc, Nicolae, valeas atque cognitos  
Exequere monitus rectoris summi poli!

122a

Nicolaus.

Seu vivimus seu morimur, domino vivimus  
Et domino morimur; quo me cunque vovaverit,  
740 Libens concedam, dummodo coeptis gratiam  
Divinam adspiret ac me sub alis protegat  
Clementiae suae pater mitissimus.

(Finis actus primi.)



## PROLOGUS IN ACTUM SECUNDUM.

- Prodeo nunc iterum, Lucernenses <sup>24</sup> inclyti,  
 Enarraturus summam partis alterae.
- 745 Adeste mentibus aequis, patulis et auribus  
 Et ut favistis hactenus Underwaldio  
 Nicoleo, sic faventes porro pergite!  
 Nicoleus in dies magis mortalium  
 Pertaesus rerum, consecrare se Deo
- 750 Magis atque magis appetit. It rus cum filio,  
 Gnatum subsequitur. Mittitur angelus ad virum  
 Sedibus ex superis, qui monet, ut viam crucis  
 Hilariter Nicolaus ineat; subiicit  
 Ardenti flammis, mox refert pedem. Domum
- 755 Se recipit; gnatus exactis negotijs  
 Genitorem quaerit. Non inveniens, questubus  
 Astra replet, metuens ne duris pugnis pater  
 Acceptus esset denuo a cacodaemone.  
 Quaerenti occurrit genitrix, nuntians patrem
- 760 Esse domi. Nicoleus consilium capit,  
 Quodnam institutum vitae sectari velit:  
 Concludit mundo supremum valedicere  
 Et sine mora in eremum vastum secedere.  
 Uxorem alloquitur; eius assensum obtinet.
- 765 Quis Nicolao laetior, quod tam gravi  
 Iugo solvisset se parva molestia!  
 Commutat vestitum, Christi miles novus,  
 Militiaeque apta vestimenta tam sacrae  
 Induit. Interea germanus fit certior,
- 123b Meditari fratrem discessum; posita mora  
 Accurrit, Nicolaum retinere cupiens.  
 Orat et obsecrat; obstructis alter auribus  
 Nihil moratur fratris verba, surdior  
 Est saxis. Tandem salvus preterit sui
- 775 Tendiculas fratris et ad vexillum libere  
 Crucis advolat. Pendentes collo filij  
 Uxor et illacrymans et cognatorum preces  
 Athletae nostri non moverunt pectora.  
 Helvetia egreditur, tendit in Burgundiam;

<sup>24</sup> Korrigiert aus «Friburgenses».



- 780 Sed suasu rustici retrorsum vela dat,  
In patriamque redit. Idem iubet angelus, ut agat.  
Sic patrios Nicolaus revertit ad lares  
Subitque sylvam proximam Underwaldiae.  
Hic finietur actus alter, si Deus  
785 Adspiret coeptis et vos benevolentia  
Consueta nos iuветis; nunc pensum meum  
Absolvi, bene valete donec rediero!

## ACTUS SECUNDI SCENA PRIMA.

NICOLAUS. HENRICUS FILIUS. ANGELUS, EX LOCO  
SUPERIORE.<sup>25</sup>

Nicolaus.

- 790 Eamus fili pastum pecora et gramina  
Desectum, nostris iam laboribus polus  
Favere videtur ipso.

Henricus.

Adsum, mi parens,  
Paratus iussa facere; nunc aptissimum  
Exortum est tempus exsiccando gramini.

Nicolaus.

- 124a Praei, mi gnate! Vicinis te subsequar  
Vestigijs.

Henricus.

Faciam quod, genitor, imperas.

Nicolaus.

- 795 O conditor poli stelliferi praepotens  
Meum solamen et laetamen unicum!  
Ecquando, positis curis, queis nunc abstrahor  
Divorum ab iugi cultu, serviam tibi  
Perfecte? Quando dabitur, his negotijs

---

<sup>25</sup> In der Legende wird Nikolaus aus einer Wolke angesprochen; diese sprechende Wolke vertritt hier der Engel.



800 Relictis, libere volare ad sidera  
Et contemplari gaudia, quibus perpetim  
Circumfluunt, quos intulisti sedibus  
Sidereis?

Angelus.

Nicolae, Nicolae!

Nicolaus.

Quis

Vocat me?

Angelus.

Nicolae, cur, quaeso, abnuis

805 Te totum summo consecrare numini?  
Quousque medius mundo, et medius servies  
Deo? Committe tua potenti siderum  
Rectori! Linque mundum, linque negotia,  
Quibus implicatus abstinere a Dei  
810 Continua servitute! Prata, quid tibi,  
Quid agri, quid pecorum greges cedo proderunt,  
Vitali spiritui, cum mors praecluserit  
Vias, et animam eiecerit domo sua?  
Ingredere faustis, Nicolae, passibus  
815 Faustoque numine crucis arduam viam!  
Qui iussit, aderit in omnibus rebus tibi  
Et ducet te per vastos mundi gurgites  
Ad portum vitae, quem nulli turbant noti,  
Nulli irritant japyges, nulli cori.

Nicolaus.

820 Salve, o minister et summi patris aliger!  
Quicunque sis, facilis sis, felix et bonus  
Mihi peccatori! Accipio missum aethere  
Libenter, et si vinctus uxoris  
Cervicem excutere potero, sine mora vale  
124b Supremum dicam fluxis rebus omnibus.  
825 Nunc me referam domum, ut cum coniuge colloquar.



## ACTUS SECUNDI SCENA SECUNDA.

DOROTHEA UXOR. HENRICUS FILIUS.

Henricus.

Perfeci quae peragenda fuerant; sed parens  
Ubinam est gentium; pater ubinam meus?  
Acceptus fors est iterum tam crudeliter

830 A demone, ut non pridem, pugnis lividam  
Cum ferret faciem. Quin quaeso, pater ubi sit?  
Genitor, genitor, ubi es? Vox nulla redditur,  
Cuncta silent. Genitor, genitor, filio tuo  
Vocanti te, responde! Nulla redditur  
835 Vox. Quin prae proponis passibus ago me domum, [sic!]  
Fors abiit inscio me; verum ecce genitrix  
Offert se mihi percommode videlicet.  
Affabor. Quo properas, parens dulcissima?  
Quo tendis?

Mater.

Te quaesitum prodij foras;  
840 Sine mora concede domum!

Henricus.

Quin concederem

Domum sine patre? Patrem quaesivi diu,  
Nec tamen inveni, metuo ne cacodaemoni  
Ludibrium fuerit, ut nuper fuit, preces  
Cum funderet.

Mater.

Depone timorem, gnate mi!

845 Parens domi est. Nil metuas; sospes est parens.  
Tecta subi mecum, est quod dictum tibi pervelim.

Henricus.

Eamus, in me mora nulla fuerit viae.



125<sup>a</sup> ACTUS SECUNDI SCENA TERTIA.

Nicolaus.

- Quod vitae sectabor iter? Plena sunt fora  
Tumulto vario; domus est curis anxia.  
850 Mercantem damna semper nova monent, novos  
Minatur semper casus sors mutabilis.  
Agricolam vexat nunquam intermissus labor  
Fundusque mendax cruciat, et spes decipit,  
Qua pastus, horrea Cereris voraverat  
855 Referta. Martis saevi sanguineum est opus;  
Turpia sunt lucra foenoris atque pauperes  
Usura trucidat velox. Quid verbis opus?  
Omne aevum curae. Vanitatum vanitas  
Et omnia vanitas, dixit verissimo  
860 Rex Salomon ore. Omnes morimur et labimur  
Ut labitur unda, quae nunquam revertitur.  
Diffugimus omnes ut nix solis aestibus  
Liquefacta. Ubi sunt maiores nostri? Ubi patres?  
Ubi avi? Ubi proavi? Ubi atavi? Cunctos mortuos  
865 Terra tenet, versos in umbram et tenuem pulverem.  
Et quis scit, num quiete potiantur animae?  
Rerum novatur summa semper. Mutui<sup>26</sup>  
Mortales vivunt, augescunt aliae, aliae  
Minuuntur gentes, et spatio brevissimo  
870 Renovatur totus mundus. Vanitas mera,  
Mera vanitas est vita, mundo dedita.  
Cur ergo non sim quod sum? Cur Deum meum  
Non timeam? Cur capessere iussa taedeat  
Illius? Cum sit hoc omni [sic!] homo ut litterae  
875 Divinae produnt, ipsaque ratio docet.  
125<sup>b</sup> Ergo mortalibus remittam nuntium  
Rebus. Domum relinquam, uxorem et liberos  
Amore Christi deseram. Modo copiam  
Hoc faciendi uxor faciat mihi, quam scilicet  
880 Adibo super hac re. Rogavi saepius,  
Sed semper restitit; nunc ut spero manus  
Libenter victas dabit, et se consortio  
Privari patietur meo amore coelitum.

<sup>26</sup> Korrigiert aus «mutuo».



## ACTUS SECUNDI SCENA QUARTA.

NICOLAUS. DOROTHEA UXOR.

Nicolaus.

Peropportune prodis, optatissima;  
885 Est tibi quod dictum maximopere postulem.

Uxor.

Effare! Vacillas? Aures dicenti dabo  
Libenter. Ecquid enim mihi foret suavius,  
Quam cum mentis meae dimidio colloqui?

Nicolaus.

890 Nosti, uxor, quanta mundi vanitas siet,  
Quanta instabilitas fortunae, quam certa mors  
Et quam necis incertum tempus.

Uxor.

Novi optime.

Nicolaus.

895 Nosti praeterea, quam multis me praepotens  
Deus a teneris unguiculis incitaverit  
Suum ad servitium monitis, nosti quot mihi  
Tribuerit merita, dum te consortem thori  
Habeo. Nunc, uxor, ne ingratissimus Deo  
Videar, rebus caducis mittere nuntium  
Constitui, pace quod tua fieri volo,  
900 Et eremum petere et vitam coetus nesciam  
Humani ducere, in animum induxi meum.  
126a Sat est mundo datum, quod reliquum temporis  
Patiaris me dare Deo et curae perpetis  
Salutis.

Uxor.

905 Etsi mihi perarduum accidit,  
Marite, quod petis, cum tamen saepissime  
Efflagitaveris idem, cedere denuo  
Cogor; repugnat quantumvis caro, Dei  
Non gnara.



Nicolaus.

Cogites, coniunx charissima,  
Vixisse nos simul sat longo tempore;  
Decem genuimus proles, chara pignora;  
910 Satis prospectum est generi; quid petis amplius?  
Satis opum suppeditat; non est usus tibi  
Ope mea ulterius, nec bis quinque liberis.

Uxor.

Sed quo nam te reciperes cultus gratia  
Divini? Num regionis huius terminos  
915 Egressus patriam linqueres, coniunx, tuam?

Nicolaus.

Quo me cunque vocat imperium summi patris,  
Ibo, seu cominus sive eminus mihi  
Manendum fiet. Ex animo fluxas deseram  
Res et totus totas, ut famulos addecet  
920 Siderei regis.

Uxor.

Absentia tua liberis  
Mihique tolerabilior multo foret,  
Si contineres te Helvetiae regionibus.

Nicolaus.

Quocunque me vocaverit aura spiritus,  
Concedam; perfecte me deseras velim!  
925 Ac si defunctus essem, nil utique puto  
Haberes pensi, sive tumultatus prope  
Sive procul hinc essem; fingito me mortuum,  
Te nunquam me vidisse, vel per somnium  
Novisse tantum! Sequere coniugis Petri  
930 Exemplum, quae marito certos terminos  
Et quasi cancellos non definijt suo,  
126b Sive habitaret in Italia, sive in Hellade.



Uxor.

935 Fiat voluntas eius, qui gubernat omnia  
Tam sapienter quam suaviter! Utinam simul  
Aethereis semper viveremus sedibus,  
Ut hic non paucos pariter annos viximus!

Nicolaus.

940 Nemo de patris iure clementissimi  
Addubitet beneficentia, cum dixerit,  
Quas incolo sedes, famulis largiar meis.  
Deo tu servias, coniunx, fideliter,  
Non indonatam servitutem istam sinet!  
Sed nunc subeamus tectum, mutabo novis  
Haec vestimenta vestibus; simul alia  
Parabo, quae paranda existimavero.  
945 Et cum Abramo relinquam genitoris domum.  
Eamus, coniunx; ultimus hic erit dies,  
Quo me domi videbis. Dicam liberis  
Vale supremum et oscula cunctis dividam.

## ACTUS SECUNDI SCENA QUINTA.

PETRUS, FRATER NICOLAI. GEORGIUS, CIVIS UNDERWALDIUS.

Georgius.

950 Salveto Petre! Quo properas? Quo te pedes?  
Dic, Petre mi, quid agitur rerum domi tuae?  
Quī pecora se tua habent?

Petrus.

Bene, grates caelitum  
Rectori! Rus contendo; sunt quaedam mihi  
Negotia peragenda, quae nullas moras  
Patiuntur.

Georgius.

Vis audire quidpiam novi?



Petrus.

955 Novis non admodum narrationibus  
Delector, nam novigerulos huiusmodi  
Persaepe nugigerulos esse comperi.

127a

Georgius.

Num vera dicam, tute iudica dein;  
Sed iam fortasse cognovisti singula,  
960 Fratrem etenim fratris rerum nil fugere solet.

Petrus.

Nescio quid omineris; audiam libens  
Ecquorsum enodas tandem.

Georgius.

Nosti, quid tuus  
Consilij Nicolaus frater coeperit?

Petrus.

965 Nil novi, excepto quod me summe diligat,  
Et veluti fratrem honoret.

Georgius.

Discedet hodie,

Relicta patria, relictis liberis,  
Relicta coniuge, relictis agris suis.

Petrus.

Aniles mihi videris fari fabulas  
Et somnia somniare quam vanissima.  
970 Quo abiret fratre Nicolaus inscio,  
Me non consulto, qui cum seria et ioca  
Communicare solebat?

Georgius.

Hoc die tuus  
Excedet patria Nicolaus.



Petrus.

Naeniae!

975 Novi pietate summa fratrem praeditum,  
Sed non propterea patrium deseret solum,  
Patriosque penates, liberos et coniugem,  
Quasi non posset servire in patria Deo.

Georgius.

980 Adito illius aedes, conspicaberis  
Nicolaum accingere se ad iter novum, insolens,  
Inusitatum nostro hoc pravo saeculo.

Petrus.

985 Adibo sane, quantumvis negotia  
Alio me revocent, et videbo, quid novi  
Nicolaus moliatur, an verba dederis  
Incauto, ut impedires me a negotijs.  
Vale nunc, Georgi! Fratris ad domum me ago.

Georgius.

127b Vale, mi Petre! Nicolaum viribus  
Conare totis avocare ab imbita [sic!]  
Sententia, nisi velis fratrem amittere!

## ACTUS SECUNDI SCENA SEXTA.

PETRUS. NICOLAUS.

Petrus.

990 Heus, Nicolae frater! Prodito foras!  
Vel intro mittas me! Quidquid mage collibet;  
Tibi datur optio; nemo aperit ianuam,  
Quae mihi patebat alias noctes et dies.  
Nemo edit indicium praesentiae. Silent  
Omnia, nemo foras prodit; nemo ianuam,  
995 O Nicolae frater, fratri aperit tuo!

Nicolaus.

Agnosco vocem fratris; iam iam prodeo.  
Exspecta paululum!



Petrus.

Quin prodīs ocyus,  
Aut aperis ostia!

Nicolaus.

Frater mi, nunc prodeo.

Petrus.

1000 Quid vult ornatus, Nicolae, sibi novus?  
Ecquid portendit? Num, frater, sanus sat es?  
Quid incipis?

Nicolaus.

Quod facio non intelligis,  
Intelliges frater statuto tempore.  
Deserere mundum cogito, paucis ut loquar  
Rem totam.

Petrus.

1005 Insanis frater, vestes exue  
Insolitas! Quid vocas mundum relinquere?  
In mundo non eris, si patrio solo  
Decesseris? Te ipsum frater decipis.  
Patriam mutare fas est, mundum non licet,  
1010 Nisi forsan evolare his vestibus ad polum  
Te posse reputes, sed crede mihi, falleris!  
Domi maneto, liberos pie educa,  
Et ut hactenus fecisti, servias Deo  
128a Quantum patietur procuratio domus!  
Reijce vestitum insolitum, ferme dixerim  
1015 Insanum. Cogites, quid te deceat, nota  
Notare ne conere tanta patriam,  
Ne familiam tuam! Quos sermones dabis,  
Quos risus, quos iocos, his nostris civibus!  
Fabula erit Nicolaus Underwaldius  
1020 Helvetiae toti. Quid tibi cum monastico  
Vestitu? Reijce vestes, si te gratia  
Tangit tui, aut mei, aut coniugis aut liberum!



Nicolaus.

Pro re pauca loquar; non me insania compulit,  
Non error vanus has vestes inducere;  
1025 Dei voluntas me nolentem compulit,  
Ad nuntium remittendum mortalibus  
Fluxisque rebus. Desine, frater, desine,  
Ne pugnare videaris ipso cum Deo!  
Non demovebis me mea sententia,  
1030 Quamvis profundas multa verba; nil movent  
Verba mea mentem.

Petrus.

Tute existimas Deo  
Obsequium praestitutum, linquens coniugem;  
An nescis, coniugij insolubile vinculum?  
An nescis, te potestatem nullam tui  
1035 Habere corporis? Igitur quo coniugem  
Relinques pacto?

Nicolaus.

Teneo cuncta quae refers,  
Sed etiam novi, coniugatos mutuo  
Consensu separari posse perpetim,  
Liberius ut vacent rebus coelestibus.  
1040 Sic Petrus Apostolus deseruit coniugem,  
Sic infiniti alij, quo totos se Dei  
Sacrarent cultui. Quid me vestigijs  
Horum insistere vetat? Fecit nunc copiam  
1286 Consors cubilis. Oblata cur copia  
1045 Non uterer? Haec paucis tibi responderim.

Petrus.

Non te dimittam; abire ne tentaveris!

Nicolaus.

Atqui hoc die abibo, si coepta secundaverit  
Omnipotens; nunc vale frater charissime!  
Fortasse vivum non videbis amplius,  
1050 Sed utinam nosmet conspicemur mutuo  
In vita, in quam vis nulla mortis saeviet!



Petrus.

Non amplecteris coniugem, non liberos  
Priusquam, frater, te committas itineri?

Nicolaus.

1055 Singula peregi; iam valedixi singulis  
Intra parietes, nolo ut prodeant foras.

Petrus.

Tu perditum te is. Tu dedecore familiam  
Notabis nostram perpeti. Mane, mane!  
Quo Nicolae futuri improvidus ruis?

Nicolaus.

1060 Nullis me patiar irretiri vinculis,  
Ad vexillum crucis evolabo libere.  
Te si piget imitarier, noli, obsecro,  
Me multum remorariet! Animae curam geram;  
Sat curae consumpsi parandis terreis,  
Nunc animum advertam comparandis caelicis.

Petrus.

1065 Sero sapiet, frater; redibis, risui  
Helvetijs omnibus eris et ludibrio.  
Digito monstrabunt: En hic ille sanctulus,  
Qui melior esse voluit nobis omnibus  
Et solus pervenire coeli ad sidera  
1070 Et ad beatas sedes coelitum nova  
Contendens via! En iam redit ad lares  
129a Domesticos! Quam sanctus vir! Certe angelus  
Non homo! Similia in te iacentur adagia.  
I, quoniam indulgere insanis coeptis iuvat;  
1075 Plus detrimenti, frater, nemini adferes  
Quam tibi quamque tuae coniugi atque liberis,  
Qui propter te despectui Underwaldijs  
Erunt, nec provehentur ad honoris apicem,  
Velut prognati non valde sano patre.



Nicolaus.

1080 Benignus Dominus nunquam deseret suos,  
Curam geret gnatorum, dummodo cultui  
Divino mancipem me totum! Nunc vale,  
Mi frater, et sic vive, ut vivere perpetim  
Post funera queas!

Petrus.

1085 Quin mecum tendis domum  
Et vini poculum in amoris signum ebibis!

Nicolaus.

Vinum non cupio. Vale iam, mi frater, vale!

Petrus.

Invitus te dimitto.

Nicolaus.

Nunc frater vale!

Petrus.

1090 Vale! Vide sis, ne coeptorum te taedeat  
Dies post paucos et contemptus ad lares  
Patritos redeas; nunc vale!

Nicolaus.

Vale!

Petrus.

Vale!



## ACTUS SECUNDI SCENA SEPTIMA.

NICOLAUS. CHREMES,<sup>27</sup> RUSTICUS BURGUNDUS. ANGELUS.

Nicolaus.

Tandem cervice excussi uxorium iugum,  
Tandem, solutis mundi vanis vinculis,  
Facta est potestas serviendi libere  
Potenti conditori lucidi aetheris.  
1095 Helvetia excedam, fines linquam patrios,  
129b Incursionibus ne liberi suis  
Et cives Underwaldij turbent meam  
Quietem. Ignotus inter ignotos agam  
Procul a patritis sedibus et congressibus  
1100 Mortalium. Quas tibi, summe pater, gratias  
Persolvam, quod benigne vincla ruperis,  
Queis alligatus detinebar iam diu  
In mundi studijs! Gratias ago maximas  
Et quas humana mens agere tibi valet.  
1105 Tyroni nunc tuo, Deus mitissime,  
Porrige clementem dexteram; da vincere  
Impressiones saevas saevi daemonis,  
Constantiam da passibus ut tenacibus  
Constem nec Aegyptum mediter adire denuo.  
1110 Nunc institutam porro persequar viam.  
Dux esto viae, Deus, salutis unicus  
Largitor; ne tua me destituas ope!  
Sed quis mortalium se fert mihi obviam?  
Hostis an amicus? Helvetius an advena?  
1115 Salveto quisquis es! Det gratiam suam  
Tibi Deus et favorem! Hoc precor ex pectore.

Chremes.

Tu quoque salveto! Deus impartiat tibi  
Suam similiter gratiam, mortalium  
Quisquis tandem sis!

---

<sup>27</sup> Name eines geizigen Alten in mehreren Komödien des Terenz.



Nicolaus.

Num iter hoc in Burgundiam,

1120 Dic, hospes, ducit?

Chremes.

Ducit in Burgundiam.

Sed age dum fare, tutis credes auribus

Quidcunque dixeris, quid portendit habitus

Hoc tempore non consuetus nisi monasticis

Cultoribus? An eremum adire cogitas?

1125 An vastas solus colere solitudines?

130a Aut quid moliris, isthac forma vestium,

Cum sis laicus, ut video, neque sacro ordini

Monachorum mancipatus? Quis genus? Cedo.

Unde domo? Tutis cuncta credes auribus!

Nicolaus.

1130 Effabor singula lubens. Underwaldius,

Helvetius sum, patria et origine; non nego,

Domi reliqui liberos et coniugem

Et agros et prata et pecorum aliquot greges.

Reliqui haec, inquam, amore solitariae

1135 Vitae, cuius amore flagro mirificis modis,

Ut liberius vacare queam coelestium

Theoriae, secretus a negotijs;

Patrijs exire nobis placuit finibus,

Ne fors amici conarentur ex locis

1140 Solivagis me retrahere. Estimo Burgundiam

Aptissimum proposito domicilium meo.

Inter enim ignotos versaturus sum. Quies

Jugis erit, solus a nullo turbabitur.

Chremes.

Equidem consilium comprobo, o hospes, tuum,

1145 Sed quod patritos fines egredi velis

Burgundiamque petere, istuc videlicet

Nec laudo nec probo. Nam, ut rationes meae

Sententiae exponam tibi, primum omnium

Helvetius es patria. Quis Helvetios magis



- 1150 Odit quam Burgundi? Dux noster Carolus,  
Quam valde Helvetios oderit satis liquet,  
Tanto apparatu educto in campum bellico  
Helvetios contra, et contra socios foederis.<sup>27a</sup>  
Itaque sat tutum tibi Burgundia non dabit  
1155 Hospitium. Helvetio non sat erit Burgundia  
Fidelis. Hoc Burgundo mihi credas velim!  
1306 Satis est Helvetia lata; Helvetias incole  
Regiones Helvetius! Sique tibi patria displicet,  
Pete aliam Helvetiae partem!

Nicolaus.

- 1160 Quod fidissimo  
Pectore mihi suades, non equidem contempserim,  
Quin potius ut divinis monitis congruum  
Probaverim. Mutabo cursum et patrios  
Repetam focos, ut factitandum existimas.

Chremes.

- 1165 Bene vale nunc et votis communem Deum  
Dum placas, non capiat te oblivio mei!

Nicolaus.

- Bene vale et precibus peccatorem me tuis  
Juvato, quo coepta queam sedulo persequi!  
Regrediar ergo in patriam; moram geram  
Burgundi monitis. Succurre mihi, o praepotens  
1170 Creator axis, ut perspiciam liquido  
Quid tibi probetur, an uti fines patrios  
Relinquens oras exterorum hominum petam,  
An uti Helvetia, quae servientem sedulo  
Me vidit mundo, servientem iam Deo  
1175 Videat. Sed iam sub ishac arbore paululum  
Quietis capiam, mea quies unica Deus.

---

<sup>27a</sup> Anachronistischer Hinweis auf die Burgunderkriege!



Angelus.

1180 Heus Nicolae! Nicolae, patrias  
Quin repetis oras! In Helvetiam quin ocyus,  
O Nicolae, remeas, quin popularibus  
Tuis praeportas lumen ad coelestium  
Auroram rerum! Sic vult rector aetheris,  
Sic fas iusque iubent, decet ut te servum Dei  
Videant, qui conspexerunt te famularier  
Mundo; quin Nicolae surgis ocyus!

131a

Nicolaus.

1185 Quis nomen inclamat meum? Vox aethere  
Num venit? Venit. Omen accipio lubens;  
Sine mora contendam paternos ad lares.  
Tu, Deus, esto viae dux et rege vestigia!

(Chorus secundus: „Beatus ille etc.“)

(Finis actus secundi.)



## PROLOGUS IN ACTUM TERTIUM.

- Quod felix et faustum et fortunatum siet:  
 1190 Ad tertium provecti ventis prosperis  
 Pervenimus actum, cuius dum summam eloquor,  
 Vacivas mentes, aures et linguas date  
 Dicenti! Nicolaus ex Burgundia  
 Revertit in Helvetiam monitis caelestium,  
 1195 Ne privaretur Helvetia tanto viro,  
 Qui datus et satus et natus Helvetijs erat.  
 Succedit sylvae patrio proximae solo,  
 Interque virgulta latens et densos rubos  
 Dies non paucos, expers potus et cibi,  
 1200 Consumit, pastus divinis edulijs.  
 Duo nobiles venatum mentis gratia  
 Contendunt retia, explicant. Sed, nescio,  
 Mirificum leporem capiunt. Pandunt denuo  
 Plagas, tum melius succedit venatio.  
 1205 Conatu tertio Nicoleum reperiunt  
 Horrentes inter spinas. Affantur virum,  
 Salutant et salutantur. Dein monent  
 Domum ut revertat, vestes deponat novas.  
 Utrinque varijs collatis sermonibus  
 1210 Currit Charinus iuvenis praepropero pede  
 Vocatum Nicolai fratrem, cui supra  
 Petri fuisse nomen diximus. Venit,  
 Monstro horrendo res similis est, fratrem suum  
 Redijsse in patriam. Monet, obtestatur domum  
 1215 Concedat et ne se fame et siti enecet.  
 Immotus sed enim stat novus Christi pugil.  
 132b Nec mage movetur fratris precibus et minis,  
 Quam si dura silex stet aut cautes Marpesia.<sup>28</sup>  
 Orat ad extremum, ut pastorem Sylvaniae,  
 1220 Oswaldum, accersat, moribus probum virum,  
 Quocum Nicoleo magnus intercesserat  
 Usus ab aevo ineunte. Venit pastor sedulus,  
 Cui pandit Nicolaus ordine singula.  
 Dies iam multos, dicit, consumptos sibi

<sup>28</sup> Marpesius a um, zum Berg Marpesus gehörig; Marpesus cautes, bei Virgil, Aen. 6, 471.



- 1225 Absque cibo, sine iactura virium. Rogat,  
An sit pergendum? Oswaldus, rem divinitus  
Geri animadvertens, ut porro pergat, monet.  
Interea varius de hoc sene rumor diditur.  
Ipsi Underwaldij virum partim improbant,  
1230 Partim probant. Scinduntur in contraria  
Studia. Constantiam ablegatur nuntius,  
Qui episcopum Sylvaniam advocet, ut viri  
Exploret mentem, num vere vitam cibi  
Agat expers, an rudibus imponere velit.  
1235 Sub actus finem veniunt rursum daemones,  
Immani qui impetu sancti domum senis  
Adoriuntur et ipsum extrahunt crudeliter.  
Antiquum [sic!] Nicolaus semper obtinet.  
Patiens est et patentia sua fugat  
1240 Incursus daemonum. Rumpuntur daemones  
Dolore, quod Nicolaus palmam refferat.  
Hic finis Lucernenses <sup>29</sup> actus tertij est.  
Favete Nicolao! Sed mera mora sit,  
Memores monere; favistis probe hactenus  
1245 Attentione, porro quoque favebitis!

133a

## ACTUS TERTIJ SCENA PRIMA.

PAMPHILUS,<sup>29</sup> CHARINUS,<sup>30</sup> ADOLESCENTES NOBILES.  
SPUDAEUS ET HIMERUS,<sup>31</sup> FAMULI.

Pamphilus.

- Agedum, Charine, lepores venatum ocyus  
Nos conferamus; ecquid potius hoc die  
Agere collibeat? Satis est otio datum;  
Plagas promamus et catellos naribus  
1250 Indagare feras doctos in sylvestria  
Proelia ducamus! Tempus est aptissimum.

<sup>29</sup> Korrigiert aus «Friburgenses».

<sup>30</sup> Die beiden Namen sollen wohl den liebenswürdigen Charakter ihrer Träger andeuten. Der erste kommt bei Terenz, der zweite bei Terenz und Plautus vor.

<sup>31</sup> Diese zwei Namen verraten die dienstfertigen Geister: σπουδαῖος, flink tätig; ἡμερος, Verlangen, Begierde.



Charinus.

Nil mihi iucundius esse possit, Pamphile!  
Heus puer! Heus puer, adesto! Nulla sit mora!

Spudaeus.

1255 Quid vis here? Adsum, mandata tua capessere  
Paratus.

Charinus.

Effer ocys domo plagas;  
Educ catellos! Venatum nunc ibimus.  
Abi, redi curriculo; si tardaveris,  
Tuis vae scapulis et cruribus!

Pamphilus.

1260 Adduc meum  
Puerum, domi otiosus residet; dic canes  
Ut adducat nostros et parva retia  
Leporina, lepores nam tantum venabimur!

Spudaeus.

1265 Factum putate, quod iussistis; illico  
Transactum dabo, quod petitis; nunc abeo plagas  
Allatum, ne plagis mulcier, si serius  
Revertero.

Charinus.

1336 Curre furcifer! Testudine  
Tarda videris nebulo tardius ingredi;  
Acuto germine salicis podagricos  
Pedes excutiam.

Pamphilus.

1270 Quid sors donaverit  
Nobis, sive lepus sit, sive sit cuniculus  
Unus seu plures, pariter in vinaria  
Taberna consumemus aliquot in dapis  
Admissis partem socijs, et convivium  
Hilariter instituemus.



Charinus.

1275      Haec adhuc penes  
Sortem sunt; nescimus, num sat feliciter  
Sit successura nobis haec venatio.

Pamphilus.

Nunc advenit puer; quin properas furcifer!  
Quin curris furcifer! Forte cupis primitus  
Incidere in plagas manuum; nunc onustus es  
Plagis venationi factis.

Spudaeus.

1280      Ne velis  
Plures imponere mihi plagas! Vix queo  
Has ferre.

Charinus.

Dato canes!

Pamphilus.

Dato canes, Himere!  
In proximum nos conferamus saltum, et retia  
Pandamus captandis feris.

Spudaeus.

1285      Vix amplius  
Superesse videtur lepus ullus in his saltibus.  
Ita divexantur, quam primum vel unicus  
Comparet, adsunt qui capiant novem aut decem.  
Sunt plures venatores quam lepores, amant  
Ferae quietem; augeri nequeunt, cum quies  
Nulla datur.

Pamphilus.

1290      Contine os loquax, o furcifer!  
Quam garrulus es! Ni sponte tua compresseris  
Linguam linguacem, pugnis comprimam probe.  
Veni Charine, rus petamus coeptaque  
Felici prosequamur omine proelia.  
Hunc obtendamus totum saltum retibus;



1295 Superne dimittemus catulos, ut feras  
134a Latebris excussas pellant in retia.  
Agedum teneto, puer, canes! Nos ilicet  
Plagas laxemus! Nullus hiscere audeat,  
Ne lepores fugiant terriți clamoribus!

Charinus.

1300 Da partem retium! Fer perticas, puer,  
Queis fulciantur tendiculae ne corruant!

Pamphilus.

Tendamus ita, ut si lepus acurrerit, cadat.  
Tu, Spudaeae, istam pone latites arborem,  
Et si quis leporum te transierit, concute  
1305 Sine mora palmas magno strepitu, quo lepus  
Exterritus in plagas viat, interea sile!  
Quietus sis, nec latum te commoveris  
Digitum!

Spudaeus.

Faciam quod mandas perquam sedulo.

Charinus.

Nos vero clamore feras ex latebris suis  
1310 Eliciamus et canamus catulis classicum!

(Hic cingent locum canes.)

Pamphilus.

Alacriter agitemus; certo certius  
Leporem bene habitum referemus nostram domum!

Spudaeus.

Hus, hus! Io, io! Hui captus est lepus.  
Adeste socij! Leporem grandem cepimus.

Pamphilus.

1315 Adesto, Charine! Leporem grandem cepimus,  
Ut Spudaeus ait, conciderunt retia.  
Eamus, ne diffugiat nodis denuo.



Spudaeus.

Hui, quam mirabilis lepus! Leporem utique  
Non memini talem me videre dum sum homo.

Pamphilus.

1320 Ut te dii deaeque perduant lepus!  
Felis est, non lepus! Ut lusi ridicule sumus!

Spudaeus.

Lepus est, alterius naturae quam sit genus  
Leporum, quod novimus. Hi mures capiunt.

Pamphilus.

Malam  
In rem cum lepore tuo abito, trifurcifer!

134b

Charinus.

1325 Atqui vel lepore catus hic optatior  
Acciderit Italo venatori aut Gallico,  
Extemplo dimittamus hunc leporem, alii  
Tendamus retia!

Spudaeus.

Quam mirificum cepimus  
Leporem!

Pamphilus.

1330 Dentibus ne mordeas me, mi lepus, rogo!  
In sylvis lépores, in verbis quaere lepóres,  
Dixit praeceptor quondam noster, qui mihi  
Lupulum explicabat. Praeter hoc didici nihil.

Spudaeus.

O lépores, o lepóres, o lepidissimi  
Lepores, lepores, ne me mordeas rogo!  
1335 Videte leporem! Hui, quam pulcher lepusculus!  
Mures capit hic lepusculus; quis, obsecro,  
Leporem conspexit talem?



Pamphilus.

Dimitte leporem!  
Aut te pulsabo, donec multo sanguine  
Praegnanter vibices existant.

Spudaeus.

I, lepus!  
1340 Hus! Hus; e! Hui, hui, io, io, e!

Pamphilus.

Eamus denuo laxatis retibus  
Agitatum lepores! Forsan pinguior lepus  
Incidet in nassam. Tu insidias hic denuo  
Struas, successu prosperiore, furcifer!

Spudaeus.

1345 Quidcumque venerit conijciam in retia.

Pamphilus.

Veni, Charine, fortunam experier  
Lubet iterum.

Charinus.

Cur non te sequerer, Pamphile?  
Cingamus saltum! Hui, Hui, io, io, e!  
Io, io, hui, e!

Spudaeus.

1350 Hui, hui, e! Par leporum, socij, cepimus; agedum  
Adeste socij! Lepores geminos cepimus.  
Ades Pamphile, ades Pamphile! Lepores duos  
135a Conclusimus plagis.

Pamphilus.

Certe cuniculi  
1355 Sunt pulchri, ne perimant catulos abtsine,  
Furcifer, in lepores ut ne dentibus involent!



Charinus.

Quam pulchri lepores! Nunc tandem conatibus  
Favit Diana; rursus tendamus plagas,  
Et quid sors offerat videamus denuo!

Pamphilus.

Placet consilium; sed quemnam illic conspicer  
Latere sub dumetis? Quis mortalium est?

1360

Spudaeus.

Hui, quam magnus lepus est!

Pamphilus.

Adeamus obsecro,  
Charine, propius! Vos colligite retia!  
Satis caepimus; adeamus obsecro virum!

## ACTUS TERTIJ SCENA SECUNDA.

PAMPHILUS. CHARINUS. NICOLAUS.

Pamphilus.

Salve, virorum quisquis es!

Nicolaus.

Vos quoque velim

1365

Salvos esse, iuvenes!

Charinus.

Agnosco, sic Deus  
Me amet, istam vocem. Nicolaus noster est,  
Civis Sylvaniae! Quis te error fascinat,  
Nicolee, ut inter dumos et vepres agas  
Secretus a mortalibus; quis daemonum  
Hanc tibi mentem?

1370



Nicolaus.

Iussa sic iubent  
Tonantis, sic voluntas mandat propria.  
In eremo vasta servire meditor Deo,  
Relictis omnibus; ad hanc vitam compulit  
1375 Me nullus praeter me; ipse mihi has leges tuli,  
Ipse mihi elegi vastam solitudinem.

Pamphilus.

Delnas Nicolae! Recipe te domum,  
Fame enecaberis et siti; quin ocys  
135b Nobiscum regrederis ad patritos lares!  
Nos quoque servimus toto pectore numini,  
1380 Nos quoque speramus sempiternis gaudijs  
Tandem potiri; communi incedas via,  
Notata tot vestigijs! Cur quaeritas  
Ad coelum novum iter? Iter hoc anachoreticum  
Iam pridem obductum est spinis atque sentibus;  
1385 Non teritur amplius, nec aliquot saeculis  
Tritum est. En quam palles, vix haeres ossibus;  
Plurima mortis es imago, crastinum diem  
Oriri non videbis, ni vires cibo  
Reficias et revoces.

Nicolaus.

Deus curam geret  
1390 Meae salutis; non est quod te maceres  
Non profutura solitudine!

Pamphilus.

Obsecro,  
Redi nobiscum!

Charinus.

Fratrem accersam.



Pamphilus.

Accersito;

1395 Mora absit segnis! Nicolae, cogita,  
Quam grande peccatum committant, qui necem  
Sibimet consciscunt; cave, ne tu foedus tui  
Sis interfecto! Homo merus es, non angelus.  
Alimentis indiges. Nullus mortalium  
Tolerare vitam potuit semper sine cibo.  
Et tu te posse confides? Redi, redi!

Nicolaus.

1400 Surdo recensens fabulam; possum omnia  
Non viribus meis, sed concessu Dei;  
Hic potis est, non me dumtaxat, sed incolas  
Terrae totius alere sine potu et cibo.

## ACTUS TERTIJ SCENA TERTIA.

CHARINUS ADOLESCENS. PETRUS FRATER.

136a

Charinus.

Offers te commode quaerenti, mi Petre!

Petrus.

1405 Tu me, Charine, quaeris; cuius gratia?

Charinus.

Rogas? Narrabo tibi rem mirificissimam.

Petrus.

Quam tandem?

Charinus.

Nicolaum fratrem invenimus.



Petrus.

Charine, somnias, vel ludis, vel ioci  
Occasionem quaeris, vel suspendere  
1410 Adunco naso me conaris; nam meus  
Iampridem frater abijt ex his finibus.

Charinus.

Nec somnio, nec ludo, nec tecum iocor,  
Nec nugor, nec nugabor; fratrem vidimus  
Latentem densos inter vepres et rubos.  
1415 Cucurri huc celeri gressu, ut ipsemet tuum  
Videres fratrem. Quin positis sermonibus  
Logisque vanis, mecum properas ad locum.  
Si te deceptum senseris, non abnuo,  
Quin arbitrato mulcta me mulctes tuo.  
1420 Veni, veni! Quid nectis tamdiu moras?

Petrus.

Si me fefelleris, equidem gravissimam  
Poenam irrogabo.

Charinus.

Non recuso; iam veni!  
Videsne Nicolaum? Nicoleum viden?  
Agnoscis vestimentum et ora lurida?

Petrus.

1425 Ipsissimus est hic Nicolaus; undenam  
Huc venit nobis inscijs?

Charinus.

Invenimus,  
Cum venaremur hac in valle, vepribus  
Obtectum. Quin adis! Salutas et domum  
Reducis et languentem dapibus refficis!

Petrus.

1430 Adibo, affabor et si pote ducam domum.



136b

## ACTUS TERTIJ SCENA QUARTA.

PETRUS. NICOLAUS. ADOLESCENTES.

Petrus.

Salveto Nicolae! Quis mortalium  
Deūmve nostris rursus oris appulit?  
Heu, Nicolae frater optatissime,  
Quae mala mens te dementat? Quis error fascinat?

Nicolaus.

1435

Salvus sis frater! Gaudeo te sospitem.

Petrus.

Sum sospes; utinam sospitate tu quoque  
Fruereris!

Nicolaus.

Sospitate potior maxima.  
Maiore nunquam me beārat praepotens  
Regnator axis.

Petrus.

1440

Quam palles, charissime  
Frater! Quam lurida facies tua, quam cutis  
Macra! Redito domum, refice te solitis cibis!  
Hunc spiritum phanaticum relinquito,  
Qui te agitat! Cura, frater, res domesticas!  
Uxor tabescit magna tui cupidine,  
Et liberi parentem clamant vocibus  
Querulis et noctes et dies. Redi, redi!  
Hoc pariter iuvenes orant, qui te sentibus  
Reperierunt tectum.

1445

Nicolaus.

1450

Ne mihi molestiam  
Creas velim, mi frater! Admovi manum  
Aratro, non retraham. Nunc militiae meum  
Dedi sidereae nomen, non ut transfuga  
Ex castris clanculum me surripiam. Deus,  
Qui praepotentem pandens dexteram suam  
Omnia divino rore rigat, enutriet  
Suum me famulum.

1455



Petrus.

Non spem, frater, dixerim  
Affectionem hanc; summa confidentia est,  
137a Praesumptioque, quasi miraculum  
Novum facturus conditor coeli siet.  
Spes pascis vanas. Cibo eges; namque homo es merus,  
1460 Et nil nisi Nicolaus Underwaldius,  
Non divus Nicolaus Myrrhae pontifex,  
Qui coelo iam potitur et sine dapibus  
Perennem ducit vitam.

Pamphilus.

Regredere domum,  
Mi Nicolae!

Nicolaus.

Surdo occinitis fabulam!  
1465 Non regrediar; vos regrediamini domum!  
Servus iam Christi sum, non mundi; hanc firmiter  
Tuebor servitutum, et laetus serviam.  
Tu, frater mi, tuum si fratrem diligis,  
Oswaldum parochum ad me huc cures acersier.  
1470 Nam quasdam cogitationes pervelim  
Amici accipiat veteris.

Petrus.

Faciam quod iubes.  
Teipsum sed enim satius regredi foret.

Nicolaus.

Iam dixi tibi quae stet animo sententia.

Petrus.

Vale ergo!

Adolescentes.

Valeas Nicolae plurimum;  
1475 Commune numen pro nobis precabere!



## ACTUS TERTIJ SCENA QUINTA.

OSWALDUS SACERDOS. NICOLAUS.

Oswaldus.

Salvus sis Nicolae!

Nicolaus.

Mihi charissime

Salveto sacerdos Oswalde!

Oswaldus.

Tuus me Petrus

Huc iussit concedere; rogatu, tum illius,

Tuo tum, merito huc veni positus omnibus.

1480 Siccine, mi Nicolae, patriam deseres

Et vastam posthac solitudinem coles,

137b Expers humani convictus et coetuum

Civilium non gnarus?

Nicolaus.

Sic Deus iubet,

Sic cura salutis exposcit animae meae,

1485 Quam servare opto sempiternis gaudijs,

Oblectamentis perituris non paululum

Reficere et in tartareum detrudere rogam.

Oswaldus.

Bene facis, Nicolae! Tu Paphnutios,

Arsenios, Hilariones ac Antonios,

1490 Paulos, Onuphrios quondam celeberrimos

Eremicolas nobis revocare cogitas.

Et ne commemorem solum divos externos,

Tu nobis referes Meinradum, nostri soli

Lucentem stellam, sylvarumque Helvetiae incolam.



- 1495      Beatum tu repraesentabis, quem lacus  
            Thunnensis crebro vidit vota fundere  
            Et pro conversione Helvetiae numini  
            Litare multis lacrymis et ieiunijs.  
            Beatus hic discipulus Apostoli Petri  
1500      Helvetiae nemora primus sacravit suo  
            Adventu et anachoretis tuta reddidit.<sup>32</sup>

Nicolaus.

- Utinam, mi Oswalde, dignus essem solvere  
            Solearum vincula talibus et tantis viris!  
            Peccator ego sum; peccata piabo mea,  
1505      Hoc secessu atque cultu vitae lurido.

Oswaldus.

Laudo consilium, Nicolae!

Nicolaus.

            Sed velim,  
            Tibi Oswalde, velut patri, quaedam credere,  
            Quorum te gratia advocavi. Num vacat  
            Audire?

Oswaldus.

- Vacat. Depones tutis auribus  
1510      Quascunque cogitationes prompseris.

138a

Nicolaus.

- Te, patris semper, Oswalde, colui loco,  
            Colamque posthac multo diligentius,  
            Cum iam reliqui mundum gratia Dei.  
            Uxorio expeditus iam nunc sum iugo.  
1515      Ingressus hancce vastam solitudinem  
            Habitandi caussa, iam diebus undecim  
            Nil potus aut cibi gustavi funditus,  
            Nec minui vires sensi, corporis vigor  
            Nec est vegetatus, quin vegetior propemodum

---

<sup>32</sup> Vergleiche dazu die Distichen Gretsers auf die hl. Meinrad und Beat, in: Festgabe zur neunten Jahrhundertfeier der Gründung des Benediktinerstiftes Muri-Gries, Sarnen 1927, S. 151, 152, 156, 157.



- 1520      Esse mihi videor quam cum pane vescerer,  
Licet facies ut aiunt ostendet foris  
Pallorem, robur corporis tamen nihil  
Amisit virium. Num, quo coepi, pede  
Pergendum porro, censes? Dic! Sententia  
1525      Stabo tua. Faciam quidquid suaseris, pater!

Oswaldus.

- Ego, Nicolae, (si quidem res est ut refers)  
Tentandum ulterius censeo ieiunium,  
Quoad ferre queat corpus; qui cibo abstinet  
Diebus undecim sine damno corporis,  
1530      Hunc spiritualibus delicijs pascier,  
Sat liquido constat. Fortassis, ut his undecim  
Servavit te Deus diebus, sic quoque  
Pluribus enutriet. Tu si robore te tamen  
Destitui adverteres, iubeo, ut sumas cibum,  
1535      Ne tibi consciscas mortem tanta inedia.

Nicolaus.

- Quaeso, pater mi, memor esto perpetim mei,  
Dum victimam incruentam ad aram sacrificas.  
Praeterea te rogatum pervelim, otij  
Ut sumeres aliquid nonnumquam tibi et meas  
138b      Adires sedes, ut coelesti pabulo  
Peccatis expiatum reficias.

Oswaldus.

Nihil

- Gravabor ad te, Nicolae, excurrere.  
Iam vale! Deus secundet coepta praepotens  
Et te meque simul tandem ad sedes aetheris  
1445      Traducat!

Nicolaus.

Hoc faciat, cuius velle facere est!



## ACTUS TERTIJ SCENA SEXTA.

GEORGIUS, DEFENSOR NICOLAI. MOMETES<sup>33</sup> ET SARPAEUS,<sup>34</sup>  
OBTRECTATORES.

Georgius.

Est quod solvamus magnas gratias Deo,  
His qui postremis mundi saeculis dedit  
Helvetijs anachoretam, qui miraculis  
Nulli antiquorum cedat, quin potius eos  
1550 Longo intervallo praeceat. Fas sit dicere,  
Quod sentio! Fieri potest, ut plurimum  
Fallar; sed hoc malo, quam quemquam fallere.  
Nicoleus nostras nunc floret miraculis  
Insolitis et inauditis, expers nam cibi  
1555 Vitam agit et solis coelestibus epulis  
Sustentat sese.

Mometes.

Nicoleus hypocrita est.  
Non vivit epulis aetherijs, sed clanculum  
Illatis a consorte thalami et liberis  
Ieiunia simulat et bachanalia agit.  
1560 Ecquis mortalium tam longo tempore  
Vivat cibi expers, ut se vivere iactitat?  
Non Helias est, non Moyses, qui quater  
139a Denos tradurêre dies absque pabulo.  
Non Christus est, qui totidem cum dies cibi  
1565 Ignarus transmisisset, correptus fame  
Occepit esurire. Nostri similis est,  
Homo simplex, nequaquam superis acceptior,  
Quam simus nos. Cur insolitas tentat vias  
Vivendi? Quis maiorum eremum ingressus est?  
1570 Quasi vero nos ad sedes claras aetheris  
Non simus perventuri! Veniemus via  
Tuta viaque regia, vestigijs  
Priorum signata.

<sup>33</sup> Zu *μῶμος*, Tadel; personifiziert: Gott des Tadels.

<sup>34</sup> Vom lat. *sarpere*, beschneiden, schneiteln.



Sarpaeus.

Vulpes sub vestibus

- Monasticis Nicolei latitat. Quid virum  
1575 Bene divitem compulit, ut spreta coniuge  
Sectetur eremum? Vel non est sanus satis,  
Vel simplices in fraudem impellere cogitat.  
Utrumque malum; utrumque intolerabile. Replet  
Helvetiam totam tot vanis rumoribus,  
1580 Virum esse, qui cibi expers, o miraculum,  
Hebdomades multas salvus iam transegerit,  
Et vero totum vitae spatium totius  
Ieiunus emensurus sit. Quod si meus  
Voraret venter, quae venter vorat illius,  
1585 Equidem tam strenue ieiunijs darem  
Operam atque ipse rudis Nicolaus. Decipit  
Impostor credulos et ludit turpiter.  
Det poenas!

Georgius.

Non ita cives! Noli quempiam

- Damnare, Deus ait, et tu non damnaberis!  
1590 Nolito iudicare, et iudicaberis  
Nunquam! Num Deus absque cibo neminem potest  
1396 Servare? Num non eiusdem potentiae est,  
Qua fuit olim? Hoc sit nobis certo certius,  
Nicoleum non gustasse panis vel bolum,  
1595 Vel tantum casei, ex quo tam duram viam  
Ingressus nuntium misit mortalibus  
Negotijs. Non hypocrisis, sed numinis  
Hic est digitus, qui tanta mira perpetrat,  
Uti nos Underwaldij firmissime  
1600 Antiqua patrum retineamus dogmata,  
Quae non parum probantur hoc miraculo.  
Quocirca nolite viri linguas stringere  
In civem innocuum et, quod caput, in servum Dei,  
Ne poenas poscat a nobis Deus, cui



- 1605 Se mancipavit Nicolaus. Obsecro,  
Comprimite linguas, constabit clarissime  
De quo dubitatis non longo post tempore.  
Senatus etenim spatium iussit menstruo  
Sepiri vallem continua custodia,  
1610 Ne quis viro inferre dapes, veluti dicitis,  
Queat.

M o m e t e s.

Prudenter factum; mage tum falsitas  
Vel veritas patefiet. Ego velim quidem,  
Nullas subesse fraudes, sed metuo dolos,  
Donec cognôro hoc dubio quidquam certius.

G e o r g i u s.

- 1615 Coerceamus linguas solum! Tunc satis  
Ampla dabitur loquendi nobis copia,  
Cum fraudes constiterint, inquam, oras [sic!] luminis  
Protractae ostensae fuerint mundo pro palam.  
Nunc ad negotia curanda domum refero me;  
1620 Valet viri! Feliciter agite, comprecor!

140a ACTUS TERTIJ SCENA SEPTIMA.

PODARCES NUNTIUS.<sup>35</sup>

- Constantiam pergo constanter nuntius  
Underwaldensium. Quam misera natio  
Est nuntiorum, qui non nisi currendo perpetim  
Victum parare possunt! Sed currere tamen  
1625 Malo sane, quam arare, aut ligna findere,  
Currando callis plantae obducuntur pedum,  
Findendo ligna callere incipiunt manus.  
Sed hoc miserum est, nos nuntij saepissime  
Duplo plus nummum in haspitij consumimus

---

<sup>35</sup> *Ποδάρκης*, mit den Füßen ausreichend; also einer, der schnell läuft, oder im Laufen aushält. Ursprünglich Beiwort des Achilles.



- 1630 Quam lucremur. Sic fit vacuo ut marsupio  
Redeamus, vacuo ut egressi domo sumus.  
Et merito. Si gestaremus pecuniam,  
Nimium gravaret nos. Vinum, quod hilariter  
Nummis coemptum bibimus, pedibus addere  
1635 Consuevit alas, multo semiebrius  
Citius Constantiam veniam quam sobrius.  
Episcopum nobis adducam. Porriget  
Manum osculandam. Verum ipsi videbitis,  
Praesens quid sit facturus; hoc solum modo  
1640 Noveritis, episcopum Constantia affore,  
Valete iam! Qui mihi bene cupit, is a Deo  
Precetur mihi cyathos vini merissimi,  
Nil aliud cupio. Tempestatem nil moror.  
Optima tempestas est, cum madeo poculis;  
1645 Tunc spirat Zephyrus ventus iucundissimus.  
Valete iam! Valete iam! Valete iam!

140b

## ACTUS TERTIJ SCENA OCTAVA.

BELIAL. ASMODAEUS. NICOLAUS.

Belial.

Siccine cessabimus, Asmodae, persequi  
Nicoleum rusticum? Quin capimus impetum  
In aediculam eius, et funditus evertimus!

Asmodaeus.

- 1650 Hi, hui, senex! Num dormis? Heus, o heus senex!

Nicolaus.

Dominus protector meus est, vestras nil moror  
Impressiones.

Belial.

Dormis, o turpissima  
Larva? Heus, heus o senex! Prodi foras! Manus  
Consere nobiscum! Larva prodi!



Nicolaus.

Nil moror

1655 Impressiones vestras.

Asmodaeus.

Nil tunc impetus

Morabere velis nobis, o turpissimum

Monstrum; prodito in lumen! Quin negas Deum,

Ludibrium qui te patitur esse daemonis!

Nicolaus.

Deus meus et omnia; Deus meus et omnia;

1660 Haud quidquam praeter te mens mea desiderat.

Te concupiscit, te medullis intimis

Appetit; adiutor esto pugnanti Deus!

In te protector esto speranti Deus!

Belial.

Nil praeter vocem habes; Dei non gratiam,

1665 Non auram, non favorem; nuda dictio,

Modis inflat te miris! Non curat Deus

Tuam hanc hirsutam barbam, incultam et hispidam;

Hanc vestem longam et tetram; phi, phi! Et hos globos

Quernos an faginos! Non curat denique

141a Genas pallentiores mortis imagine.

Nicolaus.

Mendaces estis spiritus; facessite hinc!

Asmodaeus.

Abibo, sed satiabo te pugnis prius.

Belial.

Comede pugnos, ne moriaris, si expers cibi

Perdures semper.

Nicolaus.

Adiuva me, oro, Deus!



Asmodaeus.

1675     Monstrum hominis! Nil moratur te Deus tuus;  
Iam te reiecit, exque syllabo suo  
Tuum dispunxit nomen; o turpissima  
Larva! Hominem etenim non te vocaverim amplius.

Nicolaus.

1680     Facessite hinc, mendaces spiritus! Deum  
Colam; rumpamini licet nefarij,  
Impressiones nullae terrere poterunt,  
Quominus incepto semper progrediar pede.  
Deus meus et omnia, et omnia, et omnia Deus!

Asmodaeus.

1685     Ecquid profecimus Belial? Ecquid sumus  
Lucrati?

Belial.

Ne pilum.

Asmodaeus.

Ne γρὺ.<sup>36</sup>

Belial.

Ne γρὺ; nihil

1690     Uno verbo. Lapis est, non homo, vel stipitem  
Fortasse nominaro rectius indigum  
Sensus; nil commovetur, sive calcibus  
Seu pugnīs caedatur, seu tundatur sude.  
Insensilis est et duro silice durior,  
Sed tempore suo nostras incurret plagas.  
Interea piscemur alios; quis animam agit  
Clientium nostrorum? Accumbere lectulo  
Oportebit.

Asmodaeus.

Non nosti cusorem?

---

<sup>36</sup> Γρὺ, der Grunzlaut der Schweine; ne γρὺ, nicht das Geringste, nicht soviel.



Belial.

1695 Scio quem loquaris, noster est. Veni, veni!  
Animam ducamus ad inferos. Nam noster est.  
(Finis actus tertij.)



## PROLOGUS IN ACTUM QUARTUM.

- Finita fautso nunc est numine tertia  
 Commoediae pars; restat quarta, quam chorus  
 Noster vobis, Lucernenses <sup>37</sup> clarissimi,  
 1700 Dabit ut priores, hilari mente, atque studio  
 Probandi vobis iudicibus aequissimis  
 Studia sua. Date, rogo, quod facitis sine prece,  
 Operam dicenti mihi et agenti coetui!  
 Si non meremur aurem caveae tam inclytae,  
 142 Meretur eam tamen Underwaldius senex,  
 Cui vos libenter plurimum, imo et omnia  
 Debetis, quin debere illi beneficium  
 Prae grande, ceu pios decet, arbitramini.  
 Nicoleus in dies seipso sanctor  
 1710 Efficitur. Adest episcopus Constantiae.  
 Sacellum angustum Nicolai consecrat,  
 Sed non in scena; nullus exspectet; foras  
 Non veniet inaugurandi fani gratia.  
 Varios sermones confert suffraganeus  
 1715 Cum Nicolao. Tandem cogit, ut bolos  
 Aliquot panis edat et aliquid vini bibat.  
 Gravate Nicolaus, sed parendum erat,  
 Edit, bibit et in maximos mox incidit  
 Dolores; veniam orat supplex episcopus.  
 1720 Helvetiam praedicat beatam hunc ob virum  
 Mirisque exornat laudibus, quod aethere  
 Acceperit tam pretiosum cimelion.  
 Ad eundem, longinquis dein regionibus,  
 Contendit Udalricus, solitudinis  
 1725 Incola, vir probus atque bonis nitidus moribus.  
 Impetrat a Nicolao habitandi copiam  
 Vicinis in locis, fit sectator senis  
 Multaque cura superis servit et Deo.  
 Daemon, qui nil hactenus robore profuerat

<sup>37</sup> Korrigiert aus «Friburgenses».



- 1730 Aperto, fraudibus eremicolam agitat; adest  
Ut nobilis, Nicoleo suadet, ut locos  
Relinquat solos, si sese salvum velit,  
Ad gnatos remeans. Sed versuti daemonis  
143a Astutiam Nicolaus detegit statim.  
1735 Postea conveniunt Nicolaus et novus  
Eremita, Deo pariter solvunt gratias  
Recitatis hymnis. Daemon advolat iterum,  
Quo occultior eo, quo periculosior.  
Onustum asinum tam caseo quam panibus  
1740 Adducit, munera offerre simulans viro.  
Sed cognitum veteratorem fugat senex.  
Ad extremum scitantur quidam ex infima  
Sorte hominum, qui nam instituere vitam debeant,  
Ut sempiternis possint gaudijs frui.  
1745 Instructos omnes Nicolaus affatim  
Dimittit ab sese. Hic paucis totam epitomen  
Quarti actus audistis; singula videbitis  
Fusius et plenius, si linguae faverint  
Et quisque quiete tenuerit suum locum  
1750 Quem tenet, ore quidem dormiens, sed sensibus  
Alijs ut auribus et oculis vigilans; vale  
Consensus spectatissime, vale prospere!

## ACTUS QUARTI SCENA PRIMA.

THOMAS, CONSTANTIENSIS SUFFRAGANEUS<sup>38</sup>. NICOLAUS.

Episcopus.

Salvus sis Nicolae!

Nicolaus.

Quae mihi gratior

Salus eveniat, ac quam donat pontifex!

- 1755 Unde mihi, ut vallis has subeat angustias  
Episcopus et indignum adeat famulum suum?

<sup>38</sup> Der Minorit Thomas Weldner, Titularbischof von Agiothopolis, von 1462 bis 1470 Weihbischof von Konstanz. Das Konzept des Auftrages von Erzbischof Hermann an den Weihbischof ist noch vorhanden; siehe Durrer, Bruder Klaus, S. 31 ff.



143b

Episcopus.

Accitus ab Underwaldijs Constantia

Ad te concessi, iam dudum cupiens dari

Occasionem te videndi; voti compotem

1760

Deus me fecit iam. Sed quid recumbere

Prohibet, mi Nicolae? Statuatur abacus

In medio, sit nulla mora, cum sede gemina!

Ecquando vitae istius solitariae

Pertaesus eris, o Nicolae? Quando te

1765

Recipies in patriam?

Nicolaus.

Non utique patriam

Paternamve domum cernam vivens et videns;

Quod coepi proseguar. Sic me Deus adiuvet

Et Maria virgo mater intactissima,

Pedem non referam.

Episcopus.

Sed referre necessitas

1770

Coget; quo vesceris? Quo tolerabis tuam

Animam? Tandem morieris et fame et siti.

Nicolaus.

Deus non deserit suos; si pabulum

Dat avibus non orantibus, non nentibus,

Non congregantibus frumentum in horreum,

1775

Cur non nutriret, quos sibi toto pectore

Emancipatos novit? Nil alimoniam

Moror. Cibus enim meus est iussa peragere

Aetherei patris.

Episcopus.

Resideamus iam!

Nicolaus.

Haud decet,

Ut cum domino pariter accumbat servulus.



Episcopus.

1780

Accumbe pater!

Nicolaus.

Faciam quando sic iubes.

Episcopus.

Ergo sine cibo victitas?

Nicolaus.

Haud sine cibo,

Namque cibus meus est, coeli contemplarier

Indesinenter gaudia atque cultui

Vacare divino quam sedulo sum potis.

Episcopus.

1785

Dic, Nicolae, ad gloriam summi patris,

144a

Cuius tu merita praedicabis, non tua,

Vitamne ciborum et potus ducis nescius?

Aveo enim veritatem nosse liquido,

Avet Constantiensis ipse pontifex,

1790

Hermannus,<sup>39</sup> ne te censeas superbiae

Posse argui, si merita praedices Dei

Et universo mundo testata facias.

Hoc fecit Paulus eremitarum signifer,

Hoc fecit magnus Antonius, Onuphrius,

1795

Hoc Zozimus, hoc alij fecere plurimi.

Non celaverunt beneficia in se numinis.

Horum insistens, Nicolee, tu vestigijs

Expande nobis seriem totius rei!

Nicolaus.

1800

Invitus ecquidem de me quidquam proloquor,

Sed quia tu mandas, cui nefas resistere,

Narrabo, quid potenti dextera sua

Regnator axis perpetravit primitus.

Uxorio me liberum fecit iugo,

Quod multis precibus nequicquam poposceram

<sup>39</sup> Hermann III. von Breitenlandenber, 1466—1474 Erzbischof v. Konstanz.



- 1805 Multos per annos, tum patriam linquens meam  
Varias peragravi terras, donec me Deus  
Nocturnis et diurnis monitis ad lares  
Paternos regredi compulit, et his appulit  
Nemoribus, quae dum colo, nec panis vel bolum,  
1810 Nec vini vel guttam gustavit os meum.  
Miraculo novo me contemptissimum  
Conservare voluit, qui volvit sidera.  
Indignus ego sum tantis meritis, non nego,  
144b Sed nosti contemptissimos fere Deum  
1815 Eligere semper. Agere meritas gratias  
Non possem summo numini, licet forem  
Petrus vel Paulus amore flagrantissimus.

Episcopus.

- Libenter contestationem candidam  
Accipio, Nicolae, sed cum neutique  
1820 Cibis vescâre, quo te nutriri modo  
Praecipue sentis? Nam cui cibus corporis  
Deest, hunc spiritali nutririer dape  
Necessum existimo.

Nicolaus.

Cibus spiritalis est,  
Qui corpus confirmat meum, haud negaverim.

Episcopus.

- 1825 Sed quis praecipue te corroborat? Cedo.

Nicolaus.

- Oratio, ieiunium ipsum et visio  
Sacramenti, cum sacerdotis sustollitur  
Manibus; haec me semper pascunt edulia.  
Adhaec mirifice recreor, cum me corporis  
1830 Christi reipsa participem reddo, magis  
Tunc confirmor, quam si dapibus lautissimis  
Acceptus essem. Haec, optime pontifex, mea  
Sunt fercula; hisce vitam semper tollero.



- Episcopus.  
1835 Beatus es, cui tales dat epulas Deus.  
In terris etenim superis vitam similem agis,  
Qui non infarciuntur fluxis ferculis,  
Sed torrente voluptatis potantur, Dei  
Fruentes visione, qua nil dulcius,  
Nil exoptatius, nil est iucundius.
- Nicolaus.  
1840 Beatus ille, qui panem comederit  
In regno coelitum, felix ter et amplius!
- Episcopus.  
145a Sed agedum, Nicolae, ecquam tu maximam  
Virtutem censes? Principatum, cui putas  
Tribuendum?
- Nicolaus.  
1845 Do primas obedientiae,  
Obedientiae secundas, tertias  
Et quartas do. Sola neglectum crimine  
Letifero mortale genus in sedes suas  
Restituit, sola reducit homines ad polum.
- Episcopus.  
1850 Igitur obedientiam cum maximam  
Virtutem censeas, obedias volo,  
Et iubeo, ut paucos panis glutias bolos,  
Vinumque hoc ebibas. Obedientia  
Si tibi curae, si tibi cordi est, obedias!
- Nicolaus.  
1855 Ecquidem, mortales iam desuetus sum cibos,  
Edere non possum, quamvis parere cupiam.
- Episcopus.  
Parendum est Nicolae!



Nicolaus.

Quando sic iubes,  
Morem geram, sed rogito, in ternas divide  
Hanc partem partes, singulas si quivero [sic!]  
Capiam.

Episcopus.

1860      Gravate quod cupis non fecero.  
En panis est divisus; ede et vinum bibe!  
Accipias!

Nicolaus.

1865      Tu, rex coeli, qui reconditos  
Recessus pectorum scrutaris, optime  
Nosti, quam longo tempore non comederim  
Panem vel vinum biberim, nunc cupidine  
Sola parendi maiorum monitis, cibos  
Insuetos capiam. Quod felix, faustum, bonum,  
Fortunatumque sit!

Episcopus.

Quin hoc vinum quoque  
Ebibus!

Nicolaus.

1870      Obtemperabo. Ohe, quantus dolor  
Me percipit! Quantis venter distenditur  
Torminibus! Ohe, quantos cruciatus fero!

145b

Episcopus.

Quid, Nicolae, pateris?

Nicolaus.

Prae doloribus  
Parum abest, quin enecer et quin efflem spiritum.

Episcopus.

1875      Ignosce, ignosce, Nicolae! Quaeso te!  
Quod factum est, hoc non vexandi te gratia  
Factum est, nec temere. Namque episcopus meus,  
Hermannus, in mandatis <sup>40</sup> hoc mihi dedit,  
Ut veritatem certius cognosceret.

<sup>40</sup> Vergl. das oben erwähnte, bei Durrer l. c. in Faksimile mitgeteilte,  
Konzept der erzbischöflichen Weisung an den Weihbischof.



Nicolaus.

Quam me panis hic angit et ut corporis intimas  
Discruciat partes!

Episcopus.

Veniam, Nicolae, da

1880

Roganti!

Nicolaus.

Veniam largiatur omnibus  
Omnipotens; me nunquam laesisti, pontifex!  
Non est quod deprecereis a me servulo  
Culpam.

Episcopus.

Valeto iam! Valeto iam! Deo  
Tradere me, cum precaris, memineris precor.

Nicolaus.

1885

Obsecro te, genitor, ominibus me prosperis  
Prosequere et expiationem impartias,  
Meique peccatoris, cum facis sacrum,  
Memento quaeso, ut placatum numen mihi  
Adspiret auram suavem gratiae suae.

## ACTUS QUARTI SCENA SECUNDA.

THOMAS, EPISCOPUS SUFFRAGANEUS, AD HELVETIAM.

1890

O dilecta domus Helvetia coeli incolis,  
O grata tonanti regio, tale quae κέρας  
Cimelumque tale, tam rarum, a poli  
Nitentis accepisti sedibus! Tuum  
Loquor Nicoleum, quem felici sidere



- 1895 In luminis oras protulisti et nunc foves  
146a Attonita rerum novitate et miraculis!  
Ecquae regio terrae talem habuit incolam,  
Talem anachoretam, qui iam sine potu et cibo  
Bis denos annos <sup>41</sup> incolumis peregerit!
- 1900 Et vero tot peractum sit, quot Deus  
Annos praestituit vitae! Ecqua nam tollerat  
Hic vir dape vitam? Audi Helvetia miraculum  
Miraculorum maximum: Sacramento pascitur,  
Sacramento Christi corporis corpus suum
- 1905 Non animam solum conservat. Quis talia  
Vel fando audivit mira? Noster pascitur  
Nicolaus pane vitae et eucharistico.  
Helvetia, Helvetia! Sufficit tibi tuus  
Eremita ad probandam veram corporis
- 1910 Christi in sancto sacramento praesentiam.<sup>42</sup>  
Si non haberes litteras divinitus  
Missas, antiquitatis si consensio,  
Si nullae synodi suppeditarent, si patres  
Nulli essent, qui testarentur clarissime
- 1915 In eucharistia adesse praesentem Deum,  
Si nil historici scriberent, miracula  
Si nulla contigissent, unicus tibi  
Sufficeret Nicolaus ad praesentiam  
Christi adstruendam. Ecquis enim pascit hunc virum,
- 1920 Si non adest Deus? Tam parvo frustulo,  
Non saepe sumpto, quis mortalium suam  
Protrahat vitam, vel unicum tantum diem?  
Helvetia, Helvetia! Sidus illuxit tibi
- 1925 Nitescens. Praedicabunt isthoc posterì

<sup>41</sup> Der Bischof spricht von 20 Jahren, obwohl es 1469, zur Zeit des Untersuches, der wahrscheinlich im April geschah, noch nicht einmal zwei waren. Der Dichter lässt den Weihbischof über den bereits vollendeten, 1487 verstorbenen Bruder Klaus zu den Eidgenossen reden.

<sup>42</sup> Dieses Thema hat Gretser in seinem, dem Bruder-Klausen-Drama vorausgehenden «Dialogus de sacrosancto Eucharistiae sacramento, factus Friburgi anno 1586.» ausgiebig abgehandelt. Siehe den lateinischen Originaltext in: Festgabe zur neunten Jahrhundertfeier des Benediktinerstiftes Muri-Gries, Sarnen 1927, S. 117 ff.



- 146b Et laudibus laudabunt ornatissimis.  
Ne sis ingrata tanto divûm munerî,  
Ne spernas acceptum beneficium Dei,  
Ni cupias irritare furorem in te et tuos!  
Aegyptus eremicolas vidit quamplurimos,  
1930 Sed qui sacramento tot annos vixerit  
Equidem nullum reperio. Helvetiae talis est  
Concessus. Helvetia, Helvetia! Munus Dei  
Agnosce, et divina cole, quod fecisti adhuc,  
Mysteria, vel ob Nicolaum, qui tibi  
1935 Hac luce clarius probat tuam fidem!  
Insiste Nicolai semper vestigijs,  
Et semper florebis, domi, foris, procul,  
Cominus et eminus, magnifica gentium  
Victrix et debellatrix, quotquot te oderant!

## ACTUS QUARTI SCENA TERTIA.

ULRICUS EREMITA<sup>43</sup> VENIT AD NICOLAUM.

Ulricus.

- 1940 Quam mira nardus humilitas! Quam mentibus  
Iucundam spirat auram! Nardi bonus odor  
Underwaldensis me coegit has plagas  
Adire et Nicolaum visere, famulum  
Fidelem Christi, de quo tot miracula  
1945 Narrantur, ut obstupescam, quoties memoria  
Quod audij repeto. Verè mirabilis  
In sanctis Deus est et varia charismata  
Dat arbitrio suo. Odor huiusce me viri  
147a Pertraxit in hasce terras. O, si copia  
1950 Daretur simul habitandi, quam felix forem,  
Quam fortunatus! Sed quid prohibet alloqui  
Virum ipsum! Precibus fortassis dabit locum  
Cedetque victus flagitationibus  
Importunis. Heus, Nicolae, quin foras  
1955 Progredieris!

<sup>43</sup> Bruder Ulrich stammt nach dem Zeugnis des Einsiedler Dekans, Albrecht v. Bonstetten, aus Memmingen in Schwaben. Doch gelang es Durrer nicht, seine Spuren in Memmingen aufzufinden. Siehe Durrer, Bruder Klaus, S. 88 und Register.



Nicolaus.

Quisnam me vocat mortaliū?

Ulricus.

Te tuus Ulricus accersit.

Nicolaus.

Salveto, mi

Ulrice!

Ulricus.

Salve, Nicolae! Quin foras

Progredieris!

Nicolaus.

Progredior; quae vota sunt tua?

Ulricus.

Quos nuper tecum sermones isthoc loco

1960

Contulerim, nosti. Sermonum dulcedine

Tuorum sic sum captus, ut abs te abducier

Non possim, potius moriar quam te sine videns

Vivensque dicar. Magna vallis est satis;

Patiaris, obsecro, me quoque unicum angulum,

1965

Unamvè possidere speluncam! Tuis

Inhaerebo vestigijs et te sequar,

Et veluti discipulum in disciplinam dabo

Me tibi; fac voti, rogitō te, me compotem!

A fratre frater qui iuvatur, moenibus

1970

Confertur firmis.

Nicolaus.

Satius aestimaverim,

Ulrice, me manere solitarium,

Ut sim solus homo re, non vano nomine.

Satius erit, te procul meo consortio

Versari, ne ex eremo fiat oppidum.



Ulricus.

- 1975 Non demovebis me mea sententia,  
O Nicolae, ne frustra pugnaveris!  
Locus, qui tibi praebebat primitus domum,  
147b Iam mihi domum praebebit. — Votis annue,  
O Nicolae! Nil negando proficis,  
1980 Nec mihi satisfacis. Communis te salus,  
Communisque Deus hortantur, mihi ut annuas.

Nicolaus.

- Vel invitus, cogor cedere precibus tuis.  
I fausto pede, possessionem posside  
Antiquam! Nunc iure meo concedo iubens,  
1985 Tibi transcribo sedem.

Ulricus.

Sed roga Deum,  
Mi Nicolae, simili ut liceat mihi modo  
Vivere sine cibo, veluti tu te victitas!

Nicolaus.

Rogabo; votis si videbitur annuet,  
Qui cuncta creavit et gubernat omnia.

Ulricus.

- 1990 Summe parens rerum, tibi quas referam gratias,  
Quod mentem Nicolao nostro miseris,  
Votis ut annueret meis et cederet  
Habitandi sedem. Nunc incipiam viribus  
Servire totis conditori siderum.  
1995 Nunc tandem vere nuntium mortalibus  
Rebus remittam, solitudinem incolens.  
Tu coeptis adspira meis, Deus meus!  
Salus mea, solamen meum, spes unica,  
Perfugium rebus in afflictis et prosperis.



## ACTUS QUARTI SCENA QUARTA.

DAEMON UT MERCATOR, EQUO INSIDENS, INSTAR NOBILIS.

NICOLAUS.

Daemon.

2000 Aperto Marte crebro tentavi virum  
Underwaldensem, nec profeci quidpiam;  
148a Occulto nunc aggrediar hominem proelio.  
Fortasse viribus qui decipi nequit,  
Falletur fraudibus; nam quo vires solent  
2005 Esse manifestiores, hoc sane minus  
Timentur, at fraudes quo liquescunt minus,  
Hoc aptiores sunt ad tendendas plagas.  
Sed prodit. Nicolae, salve plurimum!  
Amore quo te, Nicolae, prosequor  
2010 Compulsus, invisere te volui, patria  
Relicta. Quem statues huic vitae modum?  
Quem terminum? Quousque nemorum devia  
Sectaberis, coniunctionis nescius  
Humanae?

Nicolaus.

2015 Donec spiritum ultimum Deo  
Reddidero, coeptis nunquam desistam meis.  
Alacriter pergam servire coelitum  
Rectori.

Daemon.

2020 Quo placere te Deo putas,  
Hoc displices vel maxime; num te fugit,  
Non esse deserendos parvos liberos?  
Non coniugem? Nescis, carnem unam coniugis  
Tuamque carnem? Cur ergo divellere  
Voluisti, quod conglutinaverat Deus?  
Iniuria alterius famularier Deo  
Perinde est atque alienas res furarier  
2025 Raptasque egenis velle didere in stipem.

Nicolaus.

Nil feci, quod non congruum foret  
Scripturis.



Daemon.

- Equidem, Nicolae, me tui  
Miseret, quippe poli quem summa cupidine  
Flagrantem nescire videam ad coelum viam.  
2030 Non ista via, qua graderis, ducit ad aethera;  
1486 Ad inferos, ad regna ducit pallida.  
Paradisum diligis; quin rectam protinus  
Ingredieris semitam ad paradisum, iam refer  
Pedem, sat est erratum, sat tolerabilis  
2035 Error adhuc est, maior erit si perrexeris.  
En misericordia ductus pecuniam  
Tibi dabo, qua vestimenta nova compares,  
Abiectis procul hinc horridis his vestibus;  
Accipe!

Nicolaus.

- Pecunia tua tecum ad inferos  
2040 Tradatur, o vulpine spiritus, o dolon!<sup>44</sup>  
Facessito hinc, seductor sceleratissime!  
Impostor mendacissime!

Daemon.

- Patent iam doli;  
Odoratus vulpem est, odoris naribus,  
Hic rusticus. Intereas ac dispereas senex,  
2045 Qui nos ludibrio ac oblectamento habes!  
Nil efficio hanc contra larvam, seu fraudibus,  
Seu viribus pugnem, clam sive propalam  
Aggrediar proelium, victus semper abeo.

Nicolaus.

- Grates, summe pater, bonitati ingentes tuae  
2050 Refero, quod a consilijs hostis callidi  
Protexeris. Me pater ut gnatum protegit.  
Sed Udalricum [sic!] nunc fratrem invisam meum.  
Coniunctis vocibus solvemus gratias  
Coelicolis, inprimis Deiparae virgini.

<sup>44</sup> Dolon, ein Spion der Troer.



## ACTUS QUARTI SCENA QUINTA.

NICOLAUS. ULRICUS.

Nicolaus.

2055      Ut habes, Ulrice frater? Ut arridet tibi  
149a      Eremus?

Ulricus.

Optime, pater, habeo; perplacet  
Eremus et placebit semper amplius.  
Non sentio famem, nullam sentio sitim.  
In summa, felix mihi videor, cum copiam  
2060      Habitandi tecum feceris. Soli Deo  
Me consecravi, solum imposterum colam.

Nicolaus.

Libenter accipio, quod dicis; gaudeo  
Foeliciter coepta, Ulrice, tua cedere.  
Deus remunerator munificus precum  
2065      Et actionum singularum munera  
Reponet larga, Udalrice, meritis tuis.  
Alternis nunc canamus aetheros patrem  
Hymno consueto, positis genibus, ut decet!

Nicolaus.

Pectore te grato canimus dominumque patremque.<sup>45</sup>

Ulricus.

2070      Te patrem canimus, cui non defigitur ulla  
Meta aevi, te tota vehit super aethera tellus.

Nicolaus.

Caelicolûm tibi, sancte, chori seraphque cherubque,  
Axis et ipse nitens cum corporibusque globisque  
Sidereis recinunt repetita voce ter hymnum.

Ulricus.

2075      Aethera tu comples et vastas numine terras.

<sup>45</sup> Die Verse 2069—2111, 2113—2130, 2468—2493 sind Hexameter.



Nicolaus.

Te bisseña cohors sociorum.<sup>46</sup>

Ulricus.

Fatidico ore virum.  
Teque caterva

Nicolaus.

Purpureo laudat per saecula cuncta parentem.  
Te sanguine turba rubescens

Ulricus.

2080 Cuius maiestas non circumscribitur ullis  
Limitibus.

Nicolaus.

Unigenae.  
Sua nec desunt praeconia nato

Ulricus.

Nec spiritui, qui prodit utroque.

Nicolaus.

Tu rex, Christe, poli es, qui res hominumque deumque  
Aeternis regis imperijs.

Ulricus.

149b Tu patris es summi.  
Certissima proles

Nicolaus.

2085 Descendens, nostro vestisti corpore numen,  
Factus homo, pura latitare in virginis alvo  
Dignatus.

Ulricus.

Tu, tu, moriens crucis arbore celsa,  
Stelliferum nobis pandisti victor Olympos.

<sup>46</sup> Gemeint sind die zwölf Apostel.



Nicolaus.

2090 Tu nunc collucens plus clara lampade Phoebi,  
Dexter ades patri solio, solium illius aequans.

Ulricus.

Unde sub extremi digressus tempora saeculi  
Advenies et agonothetes atque arbiter orbis.

Nicolaus.

2095 Supplicibus votis ergo te, Christe, precamur  
Rebus in adversis et mundi vortice vasto,  
Sidereis ut opem tectis demittere pergas,  
Terrigenis tibi, quos quondam moriendo parasti.

Ulricus.

Fac ut caelituum inserti post funera turbae,  
Te sine fine canant, rutilantes igne perenni.

Nicolaus.

2100 Protege, Christe, precor populum, quem conditor axis  
Legavit tibi. Tu patris legata tuere!

Ulricus.

Et rege nos aequo moderamine; saeva potestas  
Hostica limitibus nostris pellatur et oris!

Nicolaus.

Sol nunquam croceis succedit Thetyos undis,  
Asmata quin tibi pangamus cycnea meleque.

Ulricus.

2105 Nomen, Christe, tuum iugi celebremus honore!

Nicolaus.

Da, genitor, qui lucentes moliris habenas,  
Hanc sine labe diem transmittere.

Ulricus.

Gratia nostri,  
Gratia te tangat nostri!



Nicolaus.

Miserere precantis,  
Sancte parens, et spe nostra non mitte minorem  
2110 Aethere opem!

Ulricus.

Tu, Christe Deus, spes unica nostra,  
In te dum spero, nunquam subor ora, notabis [?] <sup>47</sup>

Nicolaus.

151a <sup>48</sup> Nunc persolvamus hymnum matri coelitum.

Salveto regina poli, decus addita divis! <sup>49</sup>

Ulricus.

Salveto genitrix hominum, miserescere docta!

Nicolaus.

2115 Vita hominum.

Ulricus.

Dulcedo hominum.

Nicolaus.

Solamen in arctis  
Casibus et generis nostri fiducia, salve!

Ulricus.

Infausta gentrice sati exilioque perenni  
Mulctati, voces ad te, divina virago,  
Tollimus.

Nicolaus.

Arrigito, mater, facilesque bonasque  
2120 Aures gnatorum votis, quae pectore ab imo  
Profundunt moesta facie moestisque querelis  
Pertesi longum exilium mortaliaque arva.

<sup>47</sup> Das letzte Wort unleserlich.

<sup>48</sup> Die Blätter der Handschrift sind unrichtig eingebunden; richtig folgt auf Seite 149<sup>b</sup> hier 151<sup>a</sup>. Vergl. unten Anm. 52 und 54.

<sup>49</sup> Am Rande: «Salve Regina».



Ulricus.

Eia, vocata, veni, vultum, quo sidera coeli

Lucida laetificas tempestatesque serenas,

2125

Ad nos verte parens!

Nicolaus.

Et dulcia pondera ventris,

Virgo, tui monstra nobis post fata suprema.

Ulricus.

O clemens!

Nicolaus.

O virgo, gravis pietatis honore!

Ulricus.

Mellibus Hyblais,<sup>50</sup> genitrix, o dulcior!

Nicolaus.

Esto

Praesidium vivis!

Ulricus.

Scutum morientibus, alma

2130

Christi parens, pelagi nitidissima stellula vasti!

Nicolaus.

Exactis precibus iam me recipiam domum;

Udalrice vale!

Ulricus.

Pater optime, vale, vale!

Mei memor esto perpetim, fausto ut pede

Progrediar et curram anachoreticam viam.

<sup>50</sup> Zu «Hybla», ein blumen- und bienenreicher Berg Siziliens.



## ACTUS QUARTI SCENA SEXTA.

DAEMON, AGENS ASINUM ONUSTUM CORBIBUS. NICOLAUS.

Daemon.

2135 Profectus Tugio veni Underwaldiam,  
151b Visendi Nicolai Helvetij gratia,  
De quo mira refert fama. Dona largiar  
Eremicolae ut pro me et pro liberis meis  
Communem deprecetur patrem. Hic meus equus  
2140 Portando fessus esse videtur, sed viae  
Terminus advenit iam; iam attigimus incolae  
Locum. Prodito vir divis, charissime!  
Accipe munera, quae tibi tulit asellus meus,  
Et funde vota pro me proque chara coniuge  
2145 Vota Deo, quae gravissimo distenditur  
Morbo, tuis promeritis et votis putat  
Sibi redituram sanitatem prosperam.  
Accipe, ne temnas quamvis parva munera!

Nicolaus.

2150 Munera non capio; ne deponas! Quid mihi  
Cum donis?

Daemon.

Ah, cape, rogo, nostra munera!  
Quae si contempta a te coniunx cognoverit  
Moriatur prae moerore; munera capias  
Et debile tuum reficias corpusculum  
Panibus quos attuli et vini lagenulis  
2155 Quas advexi!

Nicolaus.

Nec panem, nec vinum volo,  
Quippe mi nec pane ullo sit opus nec mero.  
Tuos tibi serva panes, tu tuum bibe  
Vinum!

Daemon.

Bona verba quaeso, sanctissime pater!



- Non ut decipiam veni, sed uti te colam.  
2160 Tuginus sum civis; cape, pater, munera!  
Asellum quoque donabo, si accipere velis,  
Obequitare ut non nunquam solitudinem  
Possis; senecta iam confectus es, indiges  
Iumento; gressus aegre fulciunt pedes.  
152a Aut certe, si tu non eges ullo cibo,  
Ullove asello, donabo asinum cum cibis  
Fratri Udalrico, qui non rore victitat,  
Non aëre, verum pane vescitur et bibit!  
Vinum; patere, obsecro, virum capere munera.

Nicolaus.

- 2170 Nec ego, nec Udalricus, o nefarie  
Seductor, munera capiet. Facessito hinc,  
Mortalium et immortalium miserrime,  
Teterrime, improbissime, mendacissime!

Daemon.

- 2175 Heu, deprehensus sum; fugiamus! Eheu; ilicet,  
Aselle, ne discruciat nos maioribus  
Tormentis hic senex; dispereas o senex!  
Fugiamus! Ulrice, Ulrice! Cibos postulas?  
Vis asinum, ut equites? Ulrice, foras prodeas!  
Vis asinum, ut in hyeme ligna ad cellam advehas tuam?

Ulriceus.

- 2180 Vade miser! Nicolaus nunc fraudes tuas  
Olfecit denuo; miserrimus es spiritus.

Daemon.

- Fugiamus asine! Nemo te mercabitur.  
Ludo operam semper, quoties hunc tento senem.  
Tandem, tandem incidet, ut spero, in retia mea.  
2185 Triumphum tunc triumphabo clarissimum.



## ACTUS QUARTI SCENA SEPTIMA.

NICOLAUS. ULRICUS. HENRICUS FILIUS.

Nicolaus.

Ulrice frater, salve!

Ulricus.

Salveto pater

Optime!

Nicolaus.

Num vafri daemonis hodie dolos

Vitasti salvus?

Ulricus.

Salvus, gratia Dei

Tuisque meritis.

Nicolaus.

Semper mundum circumit

2190

Quaerens quem devoret; redibit saepius;

152<sup>b</sup>

Quocirca ad proelium frequens te accingito,

Ne forsan imparatum te obruat vafer!

Ulricus.

Accingam me ceu militem Dei decet;

2195

Tecumque domini proeliabor proelia,

Te duce non desperabo de victoria.

Nicolaus.

Sed agendum, frater, an non esuris? Cedo.

Ulricus.

Non equidem esurio et decimus tertius tamen

Dies nunc agitur, cum nec potus quidpiam

Bibi, nec vel buccellam panis edi, nec edere cupio.

2200

Tuis hoc impetrasti votis a Deo,

Tuis hoc precibus acceptum refero libens;

O si liceret semper hoc vivere modo!



Nicolaus.

Accipe quem tibi do panem intinctum flumine;  
Ede!

Ulricus.

Nec edere cupio, nec esurio, pater.

Nicolaus.

2205

Ede, dico!

Ulricus.

Mos gerendus est, alias meas  
Non paterer fauces panis vel micam ingredi.

Nicolaus.

Ede panem! Sic voluntas summi fert patris.

Ulricus.

Edam.

Nicolaus.

Sit prosper et salutaris tibi!

Ulricus.

Quo plus edo, hoc plus semper edere gestio.

Nicolaus.

2210

Ede panem! Subministrabit alium tibi  
Manus, qui pandens omnes satiat bestias,  
Ede panem, frater mi! Quam felix est, cui  
Concessum est pane vitae in coelo vescier!

Ulricus.

2215

Esuries magis atque magis crescit; nam fames  
Hoc irritatur pane, non compescitur.

Nicolaus.

Plus panis habeo, plus edendum tibi dabo.

Ulricus.

Da pater! Esuries in me saevit sine modo.



Nicolaus.

- Accipe! Num cernis, Udalrice, charismata?  
Esse Dei varia? Annos an posses bis decem<sup>51</sup>  
2220 Cibi expers transigere, qui necdum bis decem  
150a<sup>52</sup> Dies absque cibo transegisti? Victita  
Consuetis dapibus; absque non vives cibo!

Ulricus.

- Hunc quoque consumpsi panem; centum pervelim  
Tales esse mihi panes, nec compescerent  
2225 Famem. Ferrea sane famis est necessitas.  
Nescio quo me prae esurie vertere debeam.

Nicolaus.

- Exspecta paululum! Veniet, qui pharmaco  
Accommodato, frater, medeatur fami tuae.  
Ne tentes expers victus vitam ducere!  
2230 Non dabit hanc flagitanti gratiam Deus.  
Cur autem mihi det, tibi non, equis dixerit?  
Equis consilijs divinis interfuit?  
Arbitrio cunctis dona dividit suo.  
Ne quaeras igitur altius mortalibus  
2235 Ire reliquis in vitae ducendae modo,  
Amantes numinis quod tribuerint viri [sic!],  
Grata sume manu! Et tamdiu ieiunia  
Non profer!

Ulricus.

- Audio pater; nihil edulii  
Habes praeterea?

Nicolaus.

- Mox edulij affatim  
2240 Tibi suppetet. Iam iuvenis Underwaldius,  
Gnatus meus, tam spiritus quam corporis,  
Fert tibi canistrum plenum pane et caseo.  
Accede fili; tribue panem et caseum  
Ulrico!

<sup>51</sup> Auch hier ist wieder anachronistisch von 20 Jahren die Rede. Die groteske Szene sollte einerseits das Wunderfasten des Bruder Klaus ins gehörige Licht setzen, anderseits war sie sicher darauf berechnet, den Zuschauern Spass zu machen, ähnlich wie die Teufelsszenen. Gretser liebte solche burleske Einlagen.

<sup>52</sup> Siehe oben, Anm. 48.



Henricus.

Salve mi genitor suavissime!

Nicolaus.

2245 Salvus sis, fili! Corbes oneratos cibo

Ulrico da!

Ulricus.

Quas tibi grates, rex caelitum,

Pro merito hoc referam! Nunc esuriem comprimam.

Dolori nunc medebor longe maximo.

1506 Quid tardo? Quin arripio frustum casei

2250 Frustumque panis et meae medeor fami.

Sed ad cellam me referam protinus meam;

Ibique convivabor laute et splendide.

Nicolaus.

Subito cellam!

Ulricus.

Nunc subeo famelicus,

Exibo pastus pane et caseo probe.

Nicolaus.

2255 Fili, cum tuleris fratri corporis cibum,

Par est, ut a me capias escam spiritus.

Cole Deum prae rebus non modo mortalibus,

Sed immortalibus etiam! Cole superos

Studiose, maxime parentem virginem,

2260 Patronam Helvetiae! Pius esto! Rei sacrae

Reverenter adsiste! Genitricis iussui

Gere diligenter morem! Ne iuraveris!

Mendacium ne dixeris! Superfluos

Vita sermones, fili mi! Et capiti tuo

2265 Nectes corollam, quae nescia marcescere

Aeternis vigeat circum caput honoribus.

Henricus.

Vale mi genitor, et pro liberis tuis

Et pro matre Deum non raro precabere;

Quidquid mandasti, fero transactum ut siet,

2270 Ne filius degenerasse ferar a patre.



## ACTUS QUARTI SCENA OCTAVA.

DORUS,<sup>53</sup> BERCHTOLDUS, CIVES. NICOLAUS.

Dorus.

153a<sup>54</sup> Cum nobis suppetat ocium, Berchtolde mi,  
Quid prohibet, quin adeamus Underwaldium  
Nicoleum, collocuturi cum illo viro,  
Quo maior nostris saeculis non exstitit.

Berchtoldus.

2275 Animus iam pridem fuit illius gratia  
Visendi, vallem adire, quae praebet locum  
Cultori eremi eximio.

Dorus.

Quin imus igitur  
Et vivendi precepta ab illo discimus!

Berchtoldus.

2280 In me mora nulla fuerit, non procul absumus;  
Via brevis est.

Dorus.

Adeamus ergo, sed foras  
En ipse prodit vir, mundi miraculum!

Berchtoldus.

Sancte pater, salve!

Nicolaus.

Salvete quoque vos, viri!

Berchtoldus.

Tecum loquendi caussa huc venimus, pater,  
Et audiendi monita a te salubria.

---

<sup>53</sup> Der Name findet sich schon bei Terenz.

<sup>54</sup> Vergl. oben, Anm. 48.



Nicolaus.

2285 Adventus vester gratus est mihi, filij!  
Eum Deus fortunet! Si ergo collibet  
Audire quicquam de conformando statu,  
Gravabor neutiquam dicere, quod spiritus  
Dicendum suggeret.

Dorus.

2290 Hoc consilio venimus,  
Hac mente accessimus, ut nobis exponeres,  
Quo pacto vitae sempiternae gaudia  
Nanciscier possimus.

Nicolaus.

Primum sedulo  
Iussa Dei facitote! Deum totis viribus  
Amatote; Deus summus sit amor, o viri,  
2295 Et summa voluptas vestra! Sanctae ecclesiae  
Perseverate in gremio! Sanctam nomino  
Ecclesiam catholicam, Romanam, unicam  
Dei columbam, amicam; quotquot praeter hanc  
Ecclesiae sponsaeque nomen iactitant,  
2300 Non sponsae sunt Dei, sed moechae daemonis,  
Sed furum coetus. Antiquam sectemini,  
O filij, fidem! Quod avi quoque proavi  
153b Iampridem crediderunt, credite firmiter!

Dorus.

2305 Nullum periculum nos a prisca fide  
Deijciet, moriemur potius vel millies,  
Quam vel latum cedamus unguem a dogmatis  
Antiquis; catholici sumus et erimus, pater,  
Dum spiritus hosce nostros artus rexerit.



Nicolaus.

- 2310 Praeterea nulli facite iniuriam, viri!  
Vitate usuram! Inhonestis ne patiamini  
Contractibus vos implicari; facite rem  
Honestam ratione, et Deus suam dabit  
Benedictionem. Liberos assuefacite  
Ad studium pietatis et ut teneris imbibant  
2315 Annis quod rectum est, date operam! Bona soboles  
Honori patribus est; dedecorat filius,  
Non educatus recte, patris gloriam.  
Praeterea parochos et sacerdotes decet,  
Ut quivis animo complectatur optimo,  
2320 Dei ceu famulos atque pastores gregis,  
Quem sibi paravit unda sacri sanguinis.  
Senatui reverentiam quam maximam  
Debetis et qui spernit mandata illius,  
Deum is contemnit et iustitiam vinculum  
2325 Humanae societatis solvit impie.  
Haec et id genus alia quisquis sedulo fecerit,  
Aequae perveniet ad nitentes aetheris  
Sedes, ac si in remota solitudine  
Suam exegisset vitam.

Berchtoldus.

- 2330 Obnix te pater  
Rogitamus, ut cum divis fuderis preces,  
Nos nostrosque velis summo patri tradere,  
Quo tandem mundi pelagus emensi, poli  
Subeamus plenis velis pacata ostia.

Nicolaus.

- 154a  
2335 Faciam quod petitis, vos viri. Coelestia,  
Terrestribus contemptis, mente volvite  
Frequenter! Vita brevis est, serius, ocyus  
Sors exitura nos ex hac vita evocat.



Dorus.

Pallida mors aequo pede inopum et regum domos  
Pulsat et aequali lege dura necessitas

2340 Sortitur insignes et imos. Cur polo  
Relicto sectemur tantum terrestria,  
Cum potior nostri pars prorsus divina sit  
Coeloque nata? — Nunc vale, pater optime,  
Currus et auriga Helvetiae, nostri saeculi  
2345 Laus inclyta!

Nicolaus.

Valete et precibus iuvate me,  
Quo numen placatum mihi donet gratiam.

(Finis actus quarti.)

Hier, wie oben in Vers 2325, ist von einer Preisverteilung die Rede. Es geht nicht um die Aufteilung in Lorenz eine Preisverteilung, die ausgeteilt werden haben, sondern diese Preise, die man vergeben möchte, sind nicht, wie oben, die Preisverteilung, die die aufsteigende Klasse der Lorenz erhalten.



155a

## PROLOGUS IN ACTUM QUINTUM.

- Quae res bene vertat, spectatores optimi,  
Ad actum noster griex nunc venit ultimum,  
Quem quoque demensum vobis faventibus dabit.
- 2350 Laborem extremum hunc concedite rogantibus!  
Actus brevis erit, sed divisio munerum,<sup>55</sup>  
Quae diligentiores referent nonnihil  
Producet actum. Nicolaus litteras  
Accipit initio a gnato, qui Lutetiae
- 2355 Operam navabat studijs liberalibus,  
Sed alteras quas nuntius ob incuriam  
Amiserat, iam pridem sive ab angelo  
Seu quopiam alio coelitum sibi redditas  
Nicolaus legerat. Studiosus praedicat
- 2360 Miraculum, virumque extollit laudibus  
Magnificis. Postea sedem Udalrici petit  
Eremicola, instare memorat mortis diem.  
Communi psalmos voce decantant Deo.  
Tum redit ad cellam, corripit aegrimonia
- 2365 Membra viri vehemens, moritur, sed mortem illius  
Nos non videbimus; in cella mortem oppetet,  
Non in theatro, ne fors extimescere  
Nonnulli incipiant visu terribilem necis  
Speciem et vana sibi noctu fingant somnia.
- 2370 Laetos abire spectatores ad suam  
Quemque domum cupimus. Igitur sic comoediae
- 155b Finis erit; praemiorum distributio  
Nihil ad me; nescio quid futurum sit, neque  
Cognoscere studui, nam nullum praemium
- 2375 Spero. Valet! Cedere cogor alteri.

<sup>55</sup> Hier, wie unten in Vers 2372, ist von einer Preisverteilung die Rede. Es muss wohl auch an die Aufführung in Luzern eine Prämienvverteilung sich angeschlossen haben, sonst wären diese Verse, wie man wenigstens erwarten möchte, geändert worden. Die nachfolgende Preisverteilung dürfte die auffallende Kürze des fünften Aktes erklären.



## ACTUS QUINTI SCENA PRIMA.

PHILHELLEN STUDIOSUS. NICOLAUS.

Philhellen.

- Parisiis venio, literas Underwaldius  
Mihi dedit, Nicolaus,<sup>56</sup> gnatus illius  
Nicoleij, cuius fama totam Galliam,  
Italiam totam, nec non et Germaniam  
2380 Et Celtiberiam replevit. Litteris  
Praedicta in universitate viribus  
Incumbit totis dignus patre filius.  
Hic discedenti in Helvetiam binas dedit  
Literas ad patrem, habeo alteras, at alteras  
2385 Nescio quo casu perdidit, superstites  
Gero alteras mecum. Quid igitur consilii  
Hic capiam? Adibone virum, et unas reddere  
Audebo? Iam tempus adest; sum Sylvaniae.  
At alteras non habeo, et satius forsitan  
2390 Fuisset, amisisse has, quam illas alteras!  
